

dam, sicut disponit mater corpus embryonis in utero, ut Deus deinde jam calefacto et disposito, infundat animam rationalem; hoc enim est opus solius Dei, matris vero opus est materiam disponere. Sic gallina ova incubando calefacit, ut deinde in pullos formentur et animentur.

Tertia symbolica, ut ostenderet quam ardua et difficilis res esset mortuum e morte suscitare ad vitam. Unde idem fecit Eliseus imitans Eliam magistrum suum, IV Reg. iv, 34. Rursum, ut liqueret quanta esset distantia inter miracula Eliae et Christi: Elias enim laboriose se fatigando et sudando suscitavit mortuum; Christus vero facilitate solo jussu et verbo, utpote mortis vitæque Dominus.

Quarta theologica, ut sancti corporis sui contactu cadaver pueri Deo commendaret, ait Serarius. Corpora enim sanctorum non tantum viva sunt, sed et vivifica; adeo ut corpus Elisei jam mortui mortuum suscitavit quondam a latronibus occisum, qui in sepulcrum Elisei projectus, dum sacra ejus ossa tetigisset, divina virtute revixit, uti narratur IV Reg. xii, 20. Aliam magisque propinquam causam dat Abulensis: Elias, ait, ter puero incubuit: nam primo ei incubuit orans Deum, ut eum resuscitaret: sed cum id videret non fieri, secundo incumbens puero, oravit ferventius. Verum cum nec tum quidem surgeret puer, tertio eidem incumbens oravit ardentissimo, sicut tandem vitam puero impetravit. Idem fecit Eliseus. Idem nos imitari et facere convenit. Deus enim in rebus arduis vult sepius et ardentius rogari, ut illud ferventibus, et zelo quasi armatis et inflammatis precibus ab eo extorqueamus. Hoc enim res meretur, sicutque crescit nostra devotio, virtus et meritum. Atque hinc est fructus perseverantiae et orationis perseverantis, se sequere intendentes et ardentis.

Quinta mathematica; ut enim corpus majus æquetur minori, debet illud amplecti, ac vicissim minus majori se subiciat, oportet. Id patet in circulo minori incluso in majori. Hic enim subicit se majori: unde major eum amplectitur et proportionaliter sibi æquat, quia uterque idem centrum ambit, et ad illud circumcirea gyrat, ita ut nulla linea diametralis a majori circulo ad centrum duci possit, nisi illa prius circulum minorem intermedium seet et pertransat. Quare nulla pars in circulo majori assignari potest, cui non pars similis et proportionaliter æqualis in minori respondeat. Quare docemur, quod ut inferiores Superioribus uniantur, et quasi adæquantur, necesse sit ut Superiores ad inferiores se per amorem inclinent, eosque complectantur; inferiores vero Superioribus debita obedientia, et subordinatione se submittant et substernant. Hæc ergo sunt duæ virtutes sublimes, quæ omnia complant, adæquant et uniant, nimirum charitas et humilitas. Sicut Elias charitate amplexans puerum, et puer naturaliter se submitbens Eliae, ei se

quasi adæquavit, itaque ab eodem animam, spiritum et vitam recepit.

Allegoricam et præcipuum causam dat S. Prosper, parte II Prædict. cap. xxxi, scilicet, ut Elias suo gestu representaret mysterium Incarnationis, quo Dei Filius suam deitatem commensus est, et quasi conquivit nostræ humane nature, quam assumpsit, ut per eam nos peccato mortuos vivificaret. « Elias et post eum Eliseus, ait Prosper, ut mortuum parvulum suscitaret, juvenilia membra contexit. Et Dominus Jesus seipsum exinanivit formam servi accipiens: parvum se illi parvo coaptavit, ut efficeret istud corpus humilitatis nostræ conforme corpori gloriae suæ. Jacens subter se frigidum suo calore succendit: similiter et noster Salvator Dominus mundum, a cuius calore non est jam qui se abscondat. Insufflavit ille tertio jacenti, ut trina confessio infunderet credenti: sic suscitatus est mortuus, dum a morte perpetua justificatus est impius. »

Unde Chaldaeus vertit, *coarctavit se super puerum*; Septuaginta, *insufflavit ter in puerum*. Sicut enim gallina incubat ovis, totamque se super ea expandit, et quasi commensurat, ut ea calefaciat et vivificet: sic et deitas Christi se expandit super totam humanitatem nostram, eique quasi seipsum admensa est et coequivit, ut eam frigidam calefaceret, exanimem animaret, mortuum vivificaret: singula enim hominis membra omnesque animæ potentiae per peccatum spirituales erant mortuæ, frigide, aride et exanimæ; in quæ in singulis deitas incumbens, insufflavit in eas, et inhalavit spiritum gratiæ et vitæ spiritualis. Tertio autem Elias incubuit puero eique seipsum coarctando admensus est, quia Christus tertio seipsum coarctavit, et commensus est humane nature, scilicet primo in utero; secundo, in præsepio; tertio, in cruce: itaque mortuum genus humanum vivificavit, eique spiritum charitatis, paupertatis, et patientiæ inspiravit, et eum clamore valido ac lacrymis preces offerens, exauditus est pro sua reverentia. » Ita Lyranus, Angelomus, Eucherius, Salianus.

Audi S. Augustinum, serm. 201 De Temp.: « Filius viduæ defunctus iacebat, quia filius Ecclesie, id est populus Gentium, multis peccatis et criminibus mortuus est. Orante Elia filius viduæ suscitatur, veniente Christo filius Ecclesie, id est populus Christianus, de carcere mortis reducitur; Elias inclinatur; in oratione, et vivificatur viduæ filius; et Christus procumbit in passione, et suscitatur populus Christianus. » Et post nonnulla: « Nam quod tribus vocibus inclinatur, mysterium Trinitatis ostenditur. Viduæ enim filium, id est populum Gentium, nec solus Pater sine Filio, nec Pater et Filius sine Spiritu Sancto; sed tota Trinitas suscitavit. Denique hoc etiam in sacramento Baptismatis demonstratur, dum tertia vice vetus homo mergitur, ut novus surgere mereatur. » Hoc igitur est verbum abbreviatum, de quo

Apostolus, Rom. ix, 28: « Ut quod celo non capiebatur, præsepio caperetur, ait S. Cyprianus, lib. II Contra Judæos, cap. iii, nimirum Verbum infans, puer sapiens, Deus lactens.

Tropologica causa fuit, ut ostenderet Elias virum zelosum et charitate flagrantem, qui convertere satagit animas vitis et concupiscentis mortuas, debere per magnam compassionem, commiserationem et zelum iis quasi se coequare et commetiri, ut eis frigidis et torpentibus spiritum vite inhalat; peccator enim est quasi cadaver mortuum et frigidum: quare ingenti et crebro conationatoris, confessorii et monitoris ardore opus est, ut calorem penitentiae et devotionis ei aspiat, quo ad vitam gratiæ a Deo recipendam se disponat. Sic enim ignis frigidum lignum prius calefacit, ut deinde illud igniat, et gallina ova diu calefacit, ut animentur. Ita faciebat Paulus dicens: « Factus sum infirmus infirmis, ut infir-

mos lucrificam. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos, » I Corinth. ix, 22. Et: « Quis infirmatur, et ego non infirmor? Quis scandalizatur, et ego non uror? » II Corinth. xi, 29. Et: « Filii mei, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis, » Galat. iv, 19.

Anagogica causa fuit, ut significaret Christum in resurrectione commensurum, et quasi coequaturum nos suæ gloriæ et corpori glorioso, iuxta illud: « Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ, » Philip. iii, 21.

22. ET REVERSA EST ANIMA PUERI INTRA EUM. — « Reversa, » scilicet e limbo. Hinc patet animæ hominis immortalitas. Ille puer est primus ab origine mundi a morte ad vitam suscitatus, nec enim alium eo priorem suscitatum legimus. Ita Cajetanus. Denique coarctatum, sive locus in quo Elias hunc puerum e morte suscitavit, etiamnum ostenditur, ait Adrichomius, in Sarepta.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Elias sistit se regi Achab, et non se, sed ipsum suis idolis turbasse Israelem assererat. Mar. vers. 21, miraculo evocationis ignis et celo in victimam certat cum prophetis Baal, vindexque jubet omnes nactari. Denique, vers. 41, pluviam Israeli a se siccitate damnato indeque fecunditatem restituit.

1. Post dies multos factum est verbum Domini ad Eliam, in anno tertio, dicens: Vade, et ostende te Achab, ut dem pluviam super faciem terræ. 2. Ivit ergo Elias, ut ostenderet se Achab: erat autem fames vehemens in Samaria. 3. Vocavitque Achab Abdiam dispensatorem domus suæ. Abdias autem timebat Dominum valde. 4. Nam cum interficeret Jezabel prophetas Domini, tulit ille centum prophetas, et abscondit eos quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et pavit eos pane et aqua. 5. Dixit ergo Achab ad Abdiam: Vade in terram ad universos fontes aquarum, et in cunctas valles, si forte possimus invenire herbam, et salvare equos et mulos, et non penitus jumenta intereant. 6. Diviseruntque sibi regiones, ut circumirent eas: Achab ibat per viam unam, et Abdias per viam alteram seorsum. 7. Cumque esset Abdias in via, Elias occurrit ei: qui cum cognovisset eum, cecidit super faciem suam, et ait: Num tu es, domine mi, Elias? 8. Cui ille respondit: Ego. Vade, et dic domino tuo: Adest Elias. 9. Et ille: Quid peccavi, inquit, quoniam tradis me servum tuum in manu Achab, ut interficiat me? 10. Vivit Dominus Deus tuus, quia non est gens aut regnum, quod non miserit dominus meus te requirens? et respondentibus cunctis: Non est hic: adjuravit regna singula et gentes, eo quod minime reperireris. 11. Et nunc tu dicis mihi: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias. 12. Cumque recessero a te, Spiritus Domini asportabit te in locum quem ego ignoro, et ingressus nuntiabo Achab, et non inveniens te, interficiet me: servus autem tuus timeo Dominum ab infantia sua. 13. Nunquid non indicatum est tibi domino meo, quid fecerim cum interficeret Jezabel prophetas Domini, quod absconderim de prophetis Domini centum viros, quinquagenos et quinquagenos in speluncis, et paverim eos pane et aqua? 14. Et nunc tu dicis: Vade, et dic domino tuo: Adest Elias: ut interficiat me? 15. Et dixit Elias: Vivit Dominus exercituum, ante cuius vultum sto, quia hodie apparebo ei. 16. Abiit ergo Abdias in occursum Achab, et indicavit ei: venitque Achab in occursum Eliae. 17. Et cum

vidisset eum, ait : Tunc es ille qui conturbas Israel? 18. Et ille ait : Non ego turbavi Israel, sed tu, et domus patris tui, qui dereliquistis mandata Domini, et secuti estis Baalim. 19. Venitamen nunc mitte, et congrega ad me universum Israel in monte Carmeli, et prophetas Baal quadringentos quinquaginta, prophetasque lucorum quadringentos, qui comedunt de mensa Jezabel. 20. Misit Achab ad omnes filios Israel, et congregavit prophetas in monte Carmeli. 21. Accedens autem Elias ad omnem populum, ait : Usquequo claudicatis in duas partes? si Dominus est Deus, sequimini eum : si autem Baal, sequimini illum. Et non respondit ei populus verbum. 22. Et ait rursus Elias ad populum : Ego remansi propheta Domini solus : prophetae autem Baal quadringenti et quinquaginta viri sunt. 23. Dentur nobis duo boves et illi eligant sibi bovem unum, et in frustra cadentes, ponant super ligna, ignem autem non supponant : et ego faciam bovem alterum, et imponam super ligna, ignem autem non supponam. 24. Invocate nomina deorum vestrorum, et ego invocabo nomen Domini mei : et Deus qui exaudierit per ignem, ipse sit Deus. Respondens omnis populus de maneusque ad meridiem, dicentes : Baal, exaudi nos. Et non erat vox, nec qui responderet : transliebantque altare quod fecerant. 27. Cumque esset jam meridies, illudebat illis Elias, dicens : Clamate voce majore : Deus enim est, et forsitan loquitur, aut in diversorio est, aut in itinere, aut certe dormit, ut excitetur. 28. Clamabant ergo voce magna, et incidebant se juxta ritum suum cultris et lanceolis donec perfunderentur sanguine. 29. Postquam autem transitit meridies, et illis prophetantibus venerat tempus quo sacrificium offerri solet, nec audiebatur vox, nec aliquis respondebat, nec attendebat orantes : 30. dixit Elias omni populo : Venite ad me. Et accedente ad se populo, curavit altare Domini quod destructum fuerat. 31. Et tulit duodecim lapides juxta numerum tribuum filiorum Jacob, ad quem factus est sermo Domini, dicens : Israel erit nomen tuum. 32. Et edificavit de lapidibus altare in nomine Domini : fecitque aqueductum, quasi per duas aratiunculas, in circuitu altaris. 33. et composuit ligna : divisitque per membra bovem, et posuit super ligna. 34. Et ait : Implete quatuor hydrias aqua et fundite super holocaustum et super ligna. Rursumque dixit : Etiam secundo hoc facite. Qui cum fecissent secundo, ait : Etiam tertio id ipsum facite. Feceruntque tertio. 35. Et currebant aquae circum altare, et fossa aqueductus repleta est. 36. Cumque jam tempus esset ut offerretur holocaustum, accedens Elias propheta, ait : Domine Deus Abraham, et Isaac, et Israel, ostende hodie quia tu es Deus Israel, et ego servus tuus, et juxta praeceptum tuum feci omnia verba haec. 37. Exaudi me, Domine, exaudi me : ut discat populus iste, quia tu es Dominus Deus, et tu convertisti cor eorum iterum. 38. Cecidit autem ignis Domini, et voravit holocaustum, et ligna, et lapides, pulverem quoque, et aquam quae erat in aqueductu lambens. 39. Quod cum vidisset omnis populus, cecidit in faciem suam, et ait : Dominus ipse est Deus, Dominus ipse est Deus. 40. Dixitque Elias ad eos : Apprehendite prophetas Baal, et ne unus quidem effugiat ex eis. Quos cum apprehendissent, duxit eos Elias ad torrentem Cison, et interfecit eos ibi. 41. Et ait Elias ad Achab : Ascende, comede, et bibe : quia sonus multae pluviae est. 42. Ascendit Achab, ut comederet et biberet : Elias autem ascendit in verticem Carmeli, et pronus in terram posuit faciem suam inter genua sua, 43. et dixit ad puerum suum : Ascende, et prospice contra mare. Qui cum ascendisset, et contemplatus esset, ait : Non est quidquam. Et rursus ait illi : Revertere septem vicibus. 44. In septima autem vice, ecce nebulcula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari. Qui ait : Ascende, et dic Achab, et dic Achab : Ascende, et descende, ne occupet te pluvia. 45. Cumque se verteret huc atque illuc, ecce caeli contenebrati sunt, et nubes,

et ventus, et facta est pluvia grandis. Ascendens itaque Achab abiit in Jezrahel : 46. et manus Domini facta est super Eliam, et accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret in Jezrahel.

vers. 1. 4. IN ANNO TERTIO, — siccitatis et famis ab Elia inducte Israeli.

vers. 3. 3. ABDIAS AUTEM TIMEBAT DOMINUM VALDE. — Hebraei, Lyranus et Rupertus putant hunc « Abdiam » esse Abdiam prophetam, qui inter minores prophetas ordine est quartus. Addit Lyranus Abdiam merito hujus beneficentiae in prophetas a Deo in premium accepisse donum prophetiae : S. Epiphanius vero, lib. *De Prophetis*, censet Abdiam hunc fuisse quinquagenarium illum qui libro IV, cap. 1, Elie supplex mortem effugit. Sed hunc Abdiam ab utroque esse diversum, ostendi proemio in Abdiam.

vers. 4. 4. TULIT ILLE CENTUM PROPHETAS, ET ASCONDIT EOS. — Abulensis putat prophetas hosce fuisse prophetas proprie dictos. Planius Lyranus et Cajetanus censent, eos fuisse viros religiosos, qui, abdicatis curis terrenis seorsim simul habitantes divinis laudibus insistebant, uti faciunt jam Cœnobitae. Simili modo legimus, I *Regum* cap. XIX, vers. 20, chorum prophetarum non tantum vocali cantu, sed et musicis instrumentis una cum Samuele et Saule laudasse Deum. Sic Heman et Idithun cantores dicuntur « prophetasse, » id est cecinisse psalmos in citharis et psalteriis, I *Paralip.* cap. XXV.

vers. 18. 18. NON EGO TURBAVI ISRAEL, SED TU, ET DOMUS PATRIS TUI, QUI DERELIQUISTIS MANDATA DOMINI, ET SECUTI ESTIS BAALIM. — puta idola, et deos gentium. Vide hic libertatem Eliae qua Achab regi culpam, causamque siccitatis et famis a se inductae in faciem objectat. Idem fecere Lucifer Callaritanus, S. Athanasius et S. Hieronymus in epistolis et libris scriptis ad Constantium Imperatorem Ariarium.

vers. 19. 19. CONGREGA AD ME UNIVERSUM ISRAEL IN MONTE CARMEI, ET PROPHETAS BAAL QUADRINGENTOS QUINGUAGINTA, PROPHETASQUE LUCORUM QUADRINGENTOS. — Pelit hoc Elias, ut omnes occideret : ac his occisis exideret pariter idola Baal, et « luco-rum, » id est aliorum deorum, qui in sylvis et lucis colebantur. Fuere ergo universim pseudo-prophetae, sive pseudo-doctores haeresis et idololatriae 850; quos omnes Elias partim per se, partim per populum interemit. Est enim « oli subinde Baalite quasi praecipui nominentur, tamen ceteros quoque fuisse interemptos patet cap. XIX, vers. 1.

vers. 21. 21. ET EGO FACIAM ALTERUM BOVEM, — « faciam, » id est sacrificabo. Summum enim et nobilissimum opus, quod facit homo, est sacrificium. Sic Virgilius :

Cum faciam (id est, sacrificabo) vitulo pro frugibus, ipse venio.

vers. 24. 24. DEUS, QUI EXAUDIERIT PER IGNEM IPSE SIT DEUS,

— qui scilicet ignem in hostiam sibi oblatam a caelo demiserit. Hic enim hoc ipso ostendit seignis aequae ac caeli esse Dominum, ac sacrificium illud esse suum, id est verum et divinum. Solebat enim Deus in igne apparere, ac per ignem e caelo missum absumere sacrificia sibi oblata, uti fecit in sacrificio Abelis, *Genes.* IV, 4; Aaronis, *Levit.* IX, 24; Salomonis, I *Paralip.* VII, 1; Davidis, I *Paralip.* XXI, 20; Gedeonis, *Judic.* VI, 21; Manue, *Judic.* XIII, 20, et aliorum. Ignis enim representat majestatem Dei. Unde *Deuter.* IV, 24, Moyses ait Hebraeis : « Dominus Deus tuus ignis consumens est. » Ignis enim symbolum est stitatis et puritatis, aequae ac efficacitatis divinae, uti per 17 analogias ostendi *Levit.* IX, 23. Hinc et Spiritus Sanctus in specie ignis descendit in Apostolos die Pentecostes, *Actor.* II. Vide ibi dicta.

Et haec populus sciebat, atque illa tunc ex Scripturis, tum ex Levitis audierat : unde statim succlamavit, dixitque : « Optima propositio. » Miraculo enim huc lis de Deo vero decedenda erat, uti hic Eliae suggestit Deus, eo quod Achab, Jezabel et Balthite in cultu Baal essent obstinati, nec ullas rationes in contrarium ad aures admitterent.

26. QUI CUM TULISSET BOVEM, QUEM DEDERAT HIS, FECERUNT, — id est immolantur Baal. Tradunt, vel potius more suo fabulantur (teste Lyrano et Abulensi) Rabbinii, bovem hunc fugisse a Baalitis ad Eliam, quasi qui dedignaretur immolari Baal, velletque ab Elia immolari Deo vero, ut hoc prodigio adverteret populus Baal non esse Deum, et ad Deum verum, quem colebat Elias, rediret.

TRANSILIEBANT ALTARE QUOD FECERANT. — Sic et Septuaginta; sed Hebraeus et Chaldaeus habent, quod fecerat, scilicet Elias, ait Serarius et Sanchez, qui censent Baalitis insultasse hie altari Eliae, illudque saltando diruisse, ideoque paulo post Eliam vers. 30 illud restaurasse. Favet Chaldaeus qui verit : *Insaniebant super aram, quam fecerat*, scilicet Elias. Verum vers. 30, contrarium potius significat, scilicet Eliam necdum erexisse suum altare.

Quare Vatablus, Hebraeorum quod fecerat, exponit subaudiendo *unus eorum*, scilicet Baalitarum, vel eorum dux, rex Achab. Saltabant ergo Baalite inconditi quasi amentes, ut verit Chaldaeus, cum viderent Baal a se invocatum non respondere; tum ex pudore et anxietate, ne ab Elia male mulerentur, uti reipsa eis mox contigit; tum ut Baalem anxio hoc suo transultu placarent, commoverent et quasi cogenerent ad respondendum : hoc enim gestu significabant suum erga Baalem ejusque altare studium et devotionem, quasi qui cuperent ipsimet fieri victimae, et in altari immolare se Baali, ideoque lanceolis se incidentes, sanguine suo altare cruentabant, ut

sequitur. Similes saltus et gestus inconditos more boecanthium edebant Corybantes, Luperci et Sali apud Romanos. Ita Salfanus, Vatablus et alii.

Vers. 27. 27. ET FORSITAN LOQUITUR, — colloquitur cum aliquo, ut ad vestras preces attendere nequeat.

ACT IN DIVERSARIO EST, — ut comedat, bibat et epuletur. Putabant enim Gentiles deos instar hominum manducare et potare, ac vesi necitare et ambrosia. Unde Homerus, *Iliad.* II, inducit Jovem apud Aegyptios et Aethiopes, epulantes cum aliis diis.

Vers. 28. 28. INCIDENTER SE JUXTA RITUM SEUM CULTRIS ET LANCEOLIS, — ut Baali se suumque sanguinem lacerent et offerant, itaque eum flectent ad respondendum. Idem fecere Syri, Graeci et Romani, teste Apulio, lib. VIII, Luciano in *Dea Syria*, Plutarcho, lib. *De Superstitione*. Audi Laetantium, lib. I. *De falsa relig.* cap. XVI: «Alia virtutis (sacriestiae) quam eandem Bellonam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant. Scelis namque humeris, et utraque manu districtos gladios exerentes currunt, «efferrunt, insanant.» De hac Tibullus, ubi feminam sacrificantem induxit:

Ipsa bipenne suos credit violenta lacertos,
Sanguineque effuso spargit inepta Deam.
Statque illos praeterea vera, stat sancta pecus,
Et cantu exorat quos Dea magna movet.

Nimirum demon-remulus Dei, et invidiosus homini, divinis honoribus gaudet, ideoque humano sanguine sibi quasi deo litari vult; itaque simul homines sibi exos exorciat, vulnerat et saepe necat.

Vers. 29. 29. ET ILLIS (Baalitis) PROPHETANTIBUS, — id est Baalem laudantibus et invocantibus. Chaldaeo, *insanientibus*.

Vers. 30. 30. CERAVIT (Elias) ALTARE (Domini) QUOD DESTRUCTUM FUERAT. Abulensis, *Quaest.* XXVII, putat hoc altare primitus erectum a Saul, I *Reg.* XV, 12, sed Saul ibi erexit fornicem triumphalem, non altare. Dico ergo Eliam, ut populum avocaret ab altari, et cultu Baal, jam ante instinctu Dei crevisse altare in monte Carmelo, et ad illud populum convocasset, ut in eo Deo vero sacrificaret: quare Jezabelem et Baalitis Eliae indignantes hoc ejus altare destruxisse; Eliam vero illud hic rursum crevisse et instaurasse.

Vers. 31. 31. ET TULIT DUODECIM LAPIDES JUXTA NUMERUM TRIBUUM FILIORUM JACOB. — Duodecim enim filii Jacob per suos filios, nepotes et abnepotes constituerunt 12 tribus Israel. Fecit hoc Elias, ut ostendat se Deum verum colere, illicque sacrificare, quem coluerat Jacob ceterique Patriarchae, et praei Israelite, ac proinde praesentes quoque Israelitas, ut pote eorum posteror, debere iisdem vestigiis insistere, ac eundem Deum colere. Unde subditur:

AD QUEM FACTUS EST SERMO DOMINI DICENS: ISRAEL ERIT NOMEN TUI. — Apposite, q. d. Sicut Jacob

luctans cum Deo (id est Angelo Dei vicario) nunquam volentem vincere, vocatus est Israel, id est dominans Deo, *Genes.* XXXII, sic pariter vos, si Patriarchae vestri Jacobi fidem et cultum veri Dei imitari fueritis, fietis veri Israelite, id est dominantes Deo, ac omnia, quae ab eo postulareritis, impetrabitis: quod ut faciatis, ecce *ישראל* Israel, id est *dominabitur Deus* in hoc meo sacrificio, per ignem et caelo in illud missum, ac Baalitis prosternet: licet enim et ipsi ope sui Baal, id est demonis potuissent ignem et caelo in bovem suum demittere (hoc enim facit Antichristus ope demonis, *Apocalypsis* XIII, 13), tamen sciebat Elias ex Dei revelatione, Deum id non permissurum, ut Baalem confunderet, et se solum Deum verum ostenderet.

32. FECITQUE AQUEDUCTUM QUASI PER DUAS ARATUNCULAS, IN CIRCUITU ALTARIS, — scilicet quasi per duos sulcos, sive per duo spatia, quae arari poterant. In Hebreo significatur aqueductus fuisse factus, ut caperet duo sata. Habet enim *juata domum*: id est saccum vel mensuram *duorum satorum seminis*, q. d. Fecit alveum vel aceolam excavatam circum altare tantam, ut caperet saccum continentem duo sata, id est duos modos seminis. Ita Vatablus. Male ergo quidam sic exponit, q. d. Fecit tantum alveum, quantum est in quo seminatur duo sata. Sic enim alveus hie fuisse majoris aevi Tiberis vel Rheini. Satum enim est mensura Hebraea capiens tantum, quantum modius apud Romanos. Jam modius, dum seminatur, integram agrum implet. Porro Hebraei *domum* vocant saccum vel vas quodlibet, quod semen alianve rem continet.

Fecit hoc Elias, tantumque aquae circa altare effudit, ne quis putaret cum sub altari abscondisse ignem, ac proinde ignem ab eo et caelo evocatum, non et caelo descendisse, sed in terra ab eo absconditum, inde in altare more suo ascendisse. Audi S. Chrysostomum, homil. *De Petro et Elia*, quam ex Metaphraste recitat Sarius, die I augusti: «Attende quid dicturus sum, vidi enim ipse quod dicam. In idolorum altaribus foramina quaedam sunt ex inferiore parte altaris, et fovea quaedam obscura; descendunt autem erroris artifices in foveam illam, et ex foraminibus ignem sufflant ad sacrificium conficiendum, ita ut multi decepti ignem illum caelestem existimant esse. Ne igitur et Elias in suspitionem veniret, quod et ipse aliquid tale machinatus esset, aquam effudit, ut aqua illa, nulla esse infra altare foramina ostenderet; ubi enim aqua foramen inveniret, illic aqua non consistit, sed per foramina ipsa defluit, necesse est.»

Fabulatur R. Salomon Eliam, cum tantum alveum aqua in hydra allata implere non posset, fecisse ut pars aquae ex hydra in se effusa manus suas attingeret, itaque novo miraculo ex Eliae manibus, quasi e duobus fontibus aquas largissimas emanasse, quae totum alveum impleverit, ideo-

Vers. 32.

קנה IV *Reg.* I., 41, dicit ab Eliseo in Eliae manus aquam effusam.

Vers. 28. 38. CECIDIT AUTEM IGNIS DOMINI, ET VORAVIT HOLOCRASTUM, — quasi cibum Dei. Victimae enim sunt quasi cibus Dei. Scribit Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. XIII, locum hunc igne Dei consumptum usque ad sua tempora perdurasse. Vide dicta *Isaiae* LXIV, 2, ad illa: «Aequae arderent igni.»

Vers. 29. 39. QUOD CUM VIDISSET OMNIS POPULUS, CECIDIT IN FACIEM SUAM, ET AIT: DOMINUS IPSE EST DEUS, DOMINUS IPSE EST DEUS. — Hebraice, *Jehova ipse est Elohim, Jehova ipse est Elohim, q. d. יהוה* Jehova qui primus hoc nomen suum indicavit Moysi, *Exodi* VI, 3, ac hoc nomine ab eo et ceteris Israelitis invocatus est, ipse est solus verusque Elohim, id est Deus, et Numen omnia gubernans, caelum et terram moderans, a quo proinde nos ceterique homines omnem alimoniam omneque bonum expectare et postulare debemus; *אֱלֹהִים* Elohim enim significat Deum, quatenus habet providentiam rerum omnium, omnique regit, iudicat et vindicat. Hinc Hebraei dicunt sumptum nomen Eliae, sive, ut Hebraice vocatur, *אֵלִיָּהוּ* Eliahu qui prius vocabatur *Jabersuah*. *Eliahu* enim idem est quod *אֵל יָהוּה* El *Ia hu*, id est *fortis Deus ipse*. Jam *El* est abbreviatum *Elohim*, *Ia* est contractum *Jehova*, *hu* est ipse. Sic *מכבדי* *Machabi*, id est *Machabei* nomen a *Juda* et fratribus sumptum est ex illo *Exodi* XV, *יהוה* *מי כנכר* *באליים* *Mi canochu Baelim Jehova*, id est, *Quis similis tui in fortibus, Domine?* Hoc enim velut insigne et emblemata sua pugnae et victoriae preferabant Machabaei, nullam in sua fortitudine spem, sed totam in Deo collocantes. Elias enim Dei ope fortior evasit Achab, Jezabele et Baalitis, non tantum passive, eorum persecutiones fortiter sustinendo, sed active, omnes maclando, sic S. Liduina, qui in morbis plurimis et acerbissimis per annos 30, et amplius admirabile fuit patientiae speculum, hoc nomen quasi omen futurae sapientiae accepit. *Liduina* enim Belgicae idem est quod *late patientia*, uti habet ejus Vita in initio apud Surium, tom VII, die 4 Aprilis. Sic Mars Graeco dictus est *ἀρετα*, quod naturam habeat *ἀρετων*, id est infractam, invictam et immutabilem, ait Plato in *Cratylo*. Unde ad hoc etymon alludens Virgilius:

Infractos adverso Marte Latinos,

nuncupal. Sic Agamemnon, ait Plato, hoc nomen accepit ob laborem, quos perpressurus erat, tolerantiam; decem enim annis obsidens Trojam multa perpressus est. Unde *ἀρετων* dictus quasi *ἀρετωνος*, id est *valde mansens* in obsidione Troje. Sic *Elias* athleta divinus idem est quod *fortis Dominus*, vel *fortis Dominicus*, in eo ejusque operibus.

Notat Benjamin in *Itinerario*, in Carmelo antrum Eliae adhuc visi, altarisque diruti vestigia; cujus locus circularis fuerit, diametro fere cubitorum quatuor.

Vers. 40. 40. APPREHENDITE PROPHETAS BAAL, — et iucotum,

puta universim 830, ut dixi vers. 19, quos omnes Elias jussu Dei, ut ipse ait vers. 36, praecipit occidi; quia ipsi erant anstites, doctores et auctores idololatriae, ideoque blasphemam in Deum, quos Deus per Moysen jusserat occidi: ita Abulensis et alii. Audi Auctorem *De Mirabil. S. Script.* lib. II: «Quippe quia Elias erat in ea lege, quae dicit *Levit.* cap. XXIV, blasphemum non patiens vivere. Nullus hominum idolum colit, nisi Dei blasphemus existit. Ac per hoc qui idololatrie cultores maculaverat, blasphemos et sacrilegos de terra purgabat.» Et S. Basilus, hom. 20 *De Ira*: «Illum, qui tanquam pharmaco, ad ea quae oportet, ira vitur, Dominus minime condemnat, Moyses omnium hominum mansuetissimus, vituli idololatriam damnans, Levitarum manus in eodem fratrum armavit. Phinees justa contra publice fornicantes ira, ut oportebat, usus, profluvium utrumque trucidavit. Samuel regem Amalec justa ira in medium trahens occidit. Sic itaque fit ira saepe numero bonarum actionum ministra. Elias vero zelotes quinquaginta supra quadringentos turpitudinis sacerdotes, et quadringentos sacrorum memorum comedentes de mensa Jezabel, justa sapientiae indignatione in totius Israel utilitatem, ut morte multarentur, effecit.»

DUXIT EOS AD TORRENTEM CISON (ubi Barac cecidit Sisaram cum suis copiis *Judic.* IV, vers. 7), ET INTERFECIT EOS IBI, — ne terra sancta eorum scelerato sanguine pollueretur, neque eorum cadavera aerem inficerent, idcirco ea devolvit in torrentem Cison. » nec in terra, sed in aquis decurrentibus sepelivit.

41. ET AIT ELIAS AD ACHAB: ASCENDE, COMEDE

VERS. 41. ET BIBE, QUIA SONUS MULTE PLEUVIS EST, — q. d. Jam peracta est justa vindicta de impiis idololatriis Deo injuriis: quare Deus jam quasi placatus reconciliari cupit Israeli, ac pluviam et fecunditatem illi denegatam restituere. Quocirca nunc mihi Deus revelavit pluviam mox venturam, imo ego eam video quasi venientem, ac sonitum venti vel tonitru, qui ingentem pluviam praese solet, video mihi audire: nullum enim adhuc signum pluviae in aere apparebat, ut patet ex sequentibus: «Ascende» ergo, o Achab, «comede, bibe,» et exulta ob tam laetum pluviae et fertilitatis nuntium, quod tibi affero.

42. ELIAS AUTEM ASCENDIT IN VERTICEM CARMELI, Vers. 42.

ET PRONUS IN TERRAM POSUIT FACIEM SUAM INTER GENUA SUA, — ut attentius et intenter oraret Deum pro pluvia ab eo promissa, ut eam statim exhiberet. Hic enim gestus significabat humilitatem et attentionem orantis Eliae, et Dei misericordiam, toto affectu implorantis: hoc enim situ est embryo in ventre matris, eoque quasi tacite suam miseriam ostendens, implorat Dei misericordiam, ut se in lucem educat. Audi S. Isidorum, lib. XI *Orig.* cap. I: «Genua sunt commissio femorum et crurum, et dicta genua, eo quod sint in utero gemis opposita; coherent enim sibi, et cognata

sunt oculis lacrymarum indicibus et misericordie: nam a genis genua dicuntur. Denique complicatum gigni formarique hominem dicunt, ita ut genua sursum sint, quibus oculi formentur, ut cavi et reconditi flant. Ejus genua comprimit arcta gena: inde est quod homines, dum ad genua se prosternunt, statim lacrymantur. Voluit enim eos natura uteri materni remorari, ubi, quasi in tenebris considerant, antequam ad lucem perveniant. » Hoc ipsum dixit Aristoteles, lib. VII *De Histor. animal.* cap. viii: « Homo in semet conglobatus sic gestatur, ut nasus inter genua, aures extra genua habeat. »

Carmeliter vivens
a Carmelo

Porro Abulensis hinc colligit Eliam, ab hoc tempore quo in monte Carmelo cœlitus ignem descendit, eoque Baalitis prostravit, habitationem suam in eodem ad memoriam tanti beneficii et miraculi deinceps fixisse, atque eodem confluisse ad ipsum plures viros religiosos, qui se totos Deo, orationi, et divinis rebus laudibusque tradebant. Quos post Christum imitati sunt, qui in eodem monte religiose Deum coluerunt; indeque orta est antiqua, et sancta Carmelitarum religio et familia. Unde septem Summi Pontifices Sixtus IV, Joannes XXII, Julius III, Pius V, Gregorius XIII, Sixtus V et Clemens VIII, in Bullis huius Ordini concessis, de professoribus hujus sacri instituti ita loquuntur: « Tanquam religionis speculum, et exemplar claritate fulgentes, sanctorumque prophetarum Elie et Elisei, et aliorum patrum, qui montem sanctum Carmeli juxta Eliam fontem habitantur, successionem hereditariam tenent. » Unde et Sixtus huius Religionis concessit, ut Eliam et Eliseum tanquam sue institutionis patronos coleret, dies festos in eorum honorem celebrando, propriaque officia in eorum memoriam recitando, quod et ipsa Religio studiose servat, et in ipso officio nomen et solennitatem patroni Elie tribuunt.

Hinc et Nicephorus, libro VIII, cap. iii, asserit Helenam, Mazni Constantini matrem, in Carmelo templum edificasse Eliæ prophete. Sane tempore Elie et Elisei in Carmelo fuisse oratorium, vel synagogam, ad quam festis diebus populus conveniret tum orationis causa, tum ut Eliam, Eliseum et similes conclamationes audiret, satis significatur lib. IV *Reg.* iv, 23; idque ibidem docent Lyranus, Abulensis et alii. Porro etiamnum Carmelites Eliæ festum solemne celebrant die 20 Julii, quo die Eliam Martyrologio Romano ascriptus est. Vide Suarez, lib. II *De Relig.* cap. x.

Exstat in *Biblioth. Patrum*, tom. IV editionis tertiae Coloniensis, pag. 723, liber Joannis XLIV, Hierosolymorum Episcopi ad Coprasium, de institutione monachi, in quo Carmelitarum institutum per omnia ab Elia derivatum ostenditur, quem librum nonnulli recentiores vetustum esse autumant, antea nempe faciunt Joannem Hierosolymitarum Episcopum, qui vixit tempore S. Hieronymi, et ab eo velut Origenista notatus est: sed id mul-

tis refutant Doctores Colonienses in *prefat. libr.*, ac Baronius tom V, anno Christi 444, et Bellarminus, *De Script. Eccles.* pag. 93, qui censent, stylium esse hominis Latini, et posteriorum temporum.

Denique Salomon montis hujus meminit *Cantic.* cap. vii, 13, dicens: « Caput tuum ut Carmelus. » Vide ibi dicta. Porro Carmeli nomen apte representat solum Religionis, tum quia hic piis institutis et meritis abundat, sicut Carmelus frugibus et fructibus; tum quia *Carmel* Hebraice idem est quod *scientia circumcisions*, scilicet mortificationis, passionum, cupiditatum et affectuum terrenorum, quæ dicitur in Religione, quasi in propria hujus rei schola.

Quamobrem jure S. Hieronymus hos omnes quos diximus, veteris Testamenti « monachos » vocat, idemque alio loco seipsum monachis nominans: « Noster, inquit, princeps Elisei, annuere Eliseus, nostri duces filii prophetarum; et quod isdem pene verbis dicit Isidorus, lib. II, cap. xv, qui in libro *De Ecclesiasticis officiis*, hunc utrumque et ceteros prophetas « monachorum » appellat « principes. » Ad quos etiam accedit aperte Casianus, lib. I, cap. ii, qui ab his ait monasticæ professionis primordia esse fundata. Elias enim sine uxore, sine liberis, sine familia castam celibemque semper egit vitam: in tanta insuper paupertate, ut vestium loco, zona pellicea amictus describatur; victum autem modo a vidua, modo a corvo quasi mendicatum acciperet.

Hinc et S. Chrysostomus ait, hom. 2 *ad Populum*: « Quid, dico mihi, Elia pauperius? sed propterea omnes divites vincebat, quoniam pauper erat; ipsam vero paupertatem ex mentis opulentia elegit, etc., rex pauperis indigebat, et verbis nihil plus quam meloten habentis inhiabat. »

Addit Adrichomius in *Carmelo*: In hoc monte spelunca est et fons, ubi habitabat Elias et Eliseus, et filii prophetarum: postea habitaverunt (et etiamnum habitant) ibi Fratres Carmelites; unde et originem et nomen habent.

43. PROSPICE CONTRA MARE — *Mediterraneum*: Vers. 43. inde enim in terra sancta nubes et pluvie ex maris vaporibus exoriri solent. Sciebat Elias ex Dei revelatione, mox venturam pluviam; sed ut regem et populum eam avidissime expectantem solaretur, et in pluvie spe confortaret, utque appareret a Deo per preces Eliæ hanc pluviam singulari dono dari; hinc mittit puerum seples, ut in mare signum pluvie, puta nubes prospectet, illudque cum apparuerit, sibi populoque renuntet.

44. ECCE NUBECULA PARVA QUASI VESTIGIUM (MODI) Vers. 44. HOMINIS ASCENDEBAT DE MARI. — Hebræus, *parvula quasi vola hominis*; Valabius, *ad magnitudinem vola hominis*; Chaldaeus, *nubes parva sicut vola manus hominis ascendit de Occidente*, id est de mari Mediterraneo; hoc enim est ad Occidentem Judææ.

Nota: vola tam de pedibus quam de manibus dicitur: Hebraice enim *q̄ capiti*, id est *vola*, proprie est curvitas, sive concavitas tam pedum,

quam manuum. imo et cochlearium aliarumque rerum curvarum; Chaldeus hic accipit volam manus: Noster vero « volam pedum. » Unde vertit, « vestigium hominis; » idque congruentius: videbatur enim Deus hic in nube, quasi pedibus descendere ad dandum Israël pluviam et terram fecundandam.

Elias ty-
pus Chris-
ti.

Allegorice S. Augustinus, serm. 201 *De Temp.*: « Elias, inquit, figuram habuit Domini Salvatoris. Elias oravit et sacrificium obtulit, et Christus pro universo mundo seipsum immaculatum sacrificium tradidit. Elias oravit in monte Carmeli et Christus in monte Oliveti. Elias oravit, ut pluvia in terram veniret, et Christus, ut in cordibus humanis gratia divina descenderet. Quod autem Elias dixit ad puerum suum: Vade, et considera septies, septiformem Sancti Spiritus gratiam quæ danda erat Ecclesiæ, designabat. Et quia ipse dixit se vidisse nubeculam parvulam ascendentem de mari, carnem Christi figurabat, quæ in mari mundi istius nascitura erat. » Probat id ipsum ex Evangelio, dum subdit: « Quamobrem ne forte aliquis dubitet, nubem illam vestigium hominis habuisse dixit, illius utique hominis, qui dixit: Quem dicunt homines esse filium hominis? sicut ergo orante Elia, post tres annos et sex menses pluvia de celo descendit: ita et in adventu Salvatoris tribus annis et sex mensibus, quibus prædicare dignatus est, pluvia verbi Dei totum mundum feliciter irrigavit. Et sicut tunc in adventu Eliæ omnes sacerdotes idolorum interfecti sunt et deleti, ita in adventu veri Eliæ, id est Domini nostri Jesu Christi observatio sacrilega Paganorum destructa est. » Eadem ex S. Augustino transcribere Beda, Angelinus, Eucherius.

Simile et quasi parallelum Eliæ fuit Aniani Episcopi factum. Cum enim Attila rex Hunnorum obsideret Aureliam ad Ligerim, Anianus civis hor-

tatus est, ut sperarent in Deum, ejusque opem implorarent, quod cum illi humi prostrati fecissent, tum ad eos conversus dixit: « Prospicite domus num subsidium adveniat. » Putabat enim muris num subsidium adveniat. » Putabat enim muris num subsidium adveniat. » Prospectio domus sine dubio nobis aderit. » Illi vero cum metu magno misericordiam Dei invocare ceperunt. Inde ex sancti Episcopi præcepto de integro prospicientes, nebula quasi de terra surgentem viderunt; quod renuntians dicit: « Atqui hoc Domini auxilium est. » Humis proinde il opidium invadentibus, tanta vis aquæ de celo descendit, ut coacti sint in castra reverti. S. quæque die transeuntibus et falsiscentibus assiduis jam ictibus ardentibus, ecce Aetius Valentianus III dux, et Theodorius Gothorum rex, ac Thorismundus filius ejus cum suis quisque exercitiis prodierunt, commissoque certamine Attilam ab urbe propulerunt. Hæc ita acta Gregorius Turonensis refert, libro II, cap. vii.

46. ET MANUS DOMINI FACTA EST SUPER ELIAM, ACCINCITISQUE LUMBIS CURREBAT ANTE ACHAB. — « Manus, » id est vis, virtus, alacritas, agilitas ad currendum, q. d. Deus dedit robur, virum et alacritatem Eliæ, ut licet ipse esset sejunus, fessus et debilis ex longa concertatione cum Baalitis, item Achab, qui concitatis equis procurebat, ut pluviam evaderet. « Currebat » ergo Elias, ut Achab et Israelitæ agnoscerent auctore Deo datam esse pluviam per preces Eliæ: item ut officium honorarium præstaret regi suo Achab, eum stipando, præcedendo et præcurrendo.

CAPUT DECIMUM NONUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jezebel minatur mortem Eliæ; ille fugit ac sub junipero pastus ab Angelo, pergit in montem Horeb: ubi, vers. 40, rogatur a Deo quid ibi agat, queritur prophetas occisos, se quoque posci ad necem; mox Deus, et apprensus in sibilu auræ tenuis, jubet ut ungat Hasael in regem Syria, et Jehu in regem Samariæ, ac Eliseum in prophetam sibi successurum; idipsum mox exequitur, vers. 49, ac projecto in Eliseum pallio illum sibi socium adoptat.

1. Nuntiavit autem Achab Jezebel omnia quæ fecerat Elias, et quo modo occidisset universos prophetas gladio. 2. Misitque Jezebel nuntium ad Eliam, dicens: Hæc mihi faciunt dii, et hæc addant, nisi hæc hora cras posuero animam tuam sicut animam unius ex illis. 3. Timuit ergo Elias, et surgens abiit quocumque eum ferebat voluntas; venitque in Bersabee Juda et dimisit ibi puerum suum. 4. Et perrexit in desertum, viam unius diei. Curnque venisset, et sederet subter unam juniperum, petivit animæ suæ ut exeret, et ait: Sufficit

mibi, Domine, tolle animam meam; neque enim melior sum quam patres mei. 5. Projecitque se et obdormivit in umbra juniperi; et ecce Angelus Domini tetigit eum, et dixit illi: Surge, et comede. 6. Respexit, et ecce ad caput suum subcinericius panis, et vas aquae: comedit ergo, et bibit, et rursum obdormivit. 7. Reversusque est Angelus Domini secundo, et tetigit eum, dixitque illi: Surge, comede; grandis enim tibi restat via. 8. Qui cum surrexisset, comedit, et bibit, et ambulavit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus et quadraginta noctibus, usque ad montem Dei Horeb. 9. Cumque venisset illuc, mansit in spelunca; et ecce sermo Domini ad eum, dixitque illi: Quid hic agis, Elia? 10. At ille respondit: Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel; altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et querunt animam meam ut auferant eam. 11. Et ait ei: Egredere, et sta in monte coram Domino; et ecce Dominus transit, et spiritus grandis et fortis subvertens montes, et conterens petras ante Dominum: non in spiritu Dominus. Et post spiritum commotio; non in commotione Dominus. 12. Et post commotionem ignis: non in igne Dominus. Et post ignem sibilus aura tenuis. 13. Quod cum audisset Elia, operuit vultum suum pallio, et egressus stetit in ostio speluncae, et ecce vox ad eum dicens: Quid hic agis, Elia? Et ille respondit: 14. Zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum, quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel; altaria tua destruxerunt, prophetas tuos occiderunt gladio, derelictus sum ego solus, et querunt animam meam ut auferant eam. 15. Et ait Dominus ad eum: Vade, et revertere in viam tuam per desertum in Damascus; cumque perveneris illuc, unges Hazael regem super Syriam. 16. Et Jehu filium Namsi unges regem super Israel: Eliseum autem filium Saphat, qui est de Abelmeula, unges prophetam pro te. 17. Et erit: quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Jehu; et quicumque fugerit gladium Jehu, interficiet eum Eliseus. 18. Et derelinquam tibi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, et omnes os quod non adoravit eum osculans manus. 19. Profectus ergo inde Elia, reperit Eliseum filium Saphat, arantem in duodecim jugis boum, et ipse in duodecim jugis boum arantibus unus erat: cumque venisset Elia ad eum, misit pallium suum super illum. 20. Qui statim relictis bobus cucurrit post Eliam, et ait: Oculer, oro, patrem meum et matrem meam, et sic sequar te. Dixitque ei: Vade, et revertere; quod enim meum erat, fecit tibi. 21. Reversus autem ab eo, tulit par boum, et mactavit illud, et in aratro boum coxit carnes, et dedit populo, et comederunt: consurgensque abiit, et secutus est Eliam, et ministrabat ei.

3. TIMUIT ERGO ELIAS (furorem et potentiam Jezabelis, de quo vers. 4. Vide Abulensem, *Quaest. III*), ET DIMISIT PUERUM, — scilicet famulum, ut solus secretus fugeret et lateret.

4. PERREXIT IN DESERTUM, etc., CUMQUE VENISSET, ET SEDERET SUBTER UMBRA JUNIPERUM. — «Juniperus» enim amat loca calida et sicca; unde abundat in Syria, non praesertim in deserto. Unde Plineus, lib. XVI, cap. xxx: «Junipero, ait, eadem virtus quae cedro.» Et cap. xl: «Cariem vetustatemque non sentiunt cupressus, cedrus, ebenus, lotus, buxus, taxus, juniperus.» Hinc bacca juniperi sicut calida, robusta et effloaces ad stomachum calefaciendum, sicca et roborandum instar piperis et sinapis. Talis est vir zelosus, de quo vere dicas illud Arabum adagium: «Praesat granum piperis (vel juniperi) decem peponibus.» Zelosus enim instar piperis vel ju-

niperi, si frangatur, vel confricetur, ignes amoris divini exhalat, quibus auditores ad bonum stimulat, pungit, accendit.

Apposita ergo sub juniperi umbra quievit Elia; juniperi enim bacca, quae ardent instar piperis, representant ardorem et zelum Eliae; sed hic temperandus erat umbra patientiae et humilitatis: juniperus enim cum sit parva, parvam humilemque dat umbram. Talis fuit Juniperus, unus ex primis sociis S. Francisci, de quo in *Annotibus Waddingi* ita legitur, anno Domini 1210, num. 33: «Suae etiam tunc aggregavit (S. Franciscus) ad habitum B. Juniperum tanta humilitatis et simplicitatis virum, ut ab imperio vulgo factus crederetur. Incredibilis pene videtur quae fecit, et dixit ad imam sui dejectionem, nec alius quisquam tam honoris avidus, quam hic vituperari. Proinde cum ab aliquo diceretur opprobriis,

inimbras pauperis lacernae expandens dicebat ei: Amice, profectus huc liberaliter, imple gremium lapidibus istis pretiosis, imple, ne timeas: injurias et opprobria, lapides appellans pretiosos. (Quando redibat domum, hujusmodi secum habebat sermonem: O inutilis frater, qua fronte redis ad patres? quo te admittent tituli? certe si hospitali gratia te sub tecto colligant, et panem arcum et aquam brevem dederint, rem magnam et tuis meritis majorem praestabunt: jure certe te repellent tanquam sua indignum societate. Eius simplicitatem S. Franciscus admirans, adstantibus dicebat: Ulinam, fratres, de hujusmodi Juniperis integram sylvam haberemus! — alitudo ad nominis etymologiam et proprietatem, quia teste B. Isidoro, ut cims juniperi diutissime accensus ejusdem ligati carbones servat, sic hic in sacro pectore accensum servabat amorem. Et sicut juniperus est obsita aculeis, et secundum Hieronymum semper floret, semper novos offert fructus, et nunquam deponit virorem suum: sic hic patientiae compunctione et asperitate fovebat in se divinae charitatis viriditatem. Pro Juniperum Hebraice est *רומח* rothem, quod retinentes Septuaginta vertunt *Ratham*, ut habent Complutensia, vel *Ratham*, ut habent Romana: hinc aliqui putarunt nativum esse rhamnum. Audi S. Methodium, tract. *De Castitate*, apud Photium in *Bibliotheca*: «Rhamnus virginitaltem denotat (quia enim aculeatus est et pungit, hinc denotat vitam asperam et mortificationem, quae parens est et nutrix castitatis): Rhamnus enim arbor casta est, et fortasse ex simili quadam cum virgine natura stirps haec dicitur appellatur: rhamnus quidem propter robur et fortitudinem contra voluptates: dicitur vero, quod omni ex parte casta et pura sit. Unde et Eliam ferant a facie Jezabelis mulieris fugientem ad Rhamnum primum venisse, atque exaudium fuisse, cibumque accepisse; quia fugientibus stimulum carnis et feminam et voluptatem, perfugium et tegumentum castitatis lignum germinavit, quod ab auctore virginitalis Christo plantatum est cis, qui virginitaltem complectuntur.» Sique explicat illud *Juch. ix, 14*: «Dixerunt omnia ligna ad rhamnum: Veni et impera super nos,» quia cum fleus, id est, lex naturae in paradiso, id est, lex naturae data Noe post diluvisum, qui reperit vitem et vinum, ac olea, id est, lex Moysis et Prophetarum (hi enim ungebantur oleo) fletitia hominum vulnera curare nequiverint: «Misit quarto Deus rhamnum, id est castitatem, quae illis imperaret, quae voluptatibus superatis, etiam in reliquum tempus illis interminatam est, quod nisi sibi parerent omnes, et sincere ad se accederent, futurum, ut omnes flammis absumerentur: nullam enim post hanc aliam legem recuturam, sed iudicium et ignem. Nunc cepit homo justitiam colere, Deoque constanter per fidem adherere, et se a diabolo sejungere.» Hucusque S. Methodius.

Allegorice Rupertus, lib. V, cap. x, per juniperum accipit sanctam et virilem fidem crucem, ad quam confugit fidelis, dum timore allave tentatione pulsatur: illi ambit mortem, illi optat commori Christo, quia ejus cruci totum se subjicit, optatque ei configurari et concrucifigi.

PETITVIT ANIME SUE (id est sibi; est Hebraismus) UT MORERETUR. — Unde tantus pavor, tanta constantio in Elia, qui paulo ante impavidus certat cum Achab et Baalitis, cosque superaverat? Respondeo primo, quia subduxit Deus illi robur a se inditum, ut agnosceret Elia illud fuisse donum Dei, se vero ex natura sua timidum, uti sunt alii homines. Hac de causa solet Deus sanctos, qui proclara gesserunt, obijcere timoribus et tentationibus, ut eos conservet in humilitate, ne effraetetur, sed cogatur ad Deum recurrere. Haec S. Chrysostomus, homil. *De Elia et Petro*, quae extat apud Serium die prima augusti: «Deus, inquit, declarare voluit miracula illa, quae ostensa fuerant, non ab Elia, sed a sua ipsius potentia facta fuisse. Vide quid faciat, quo tempore Deus ipse operabatur, Reges, Principes et populi Elia succumbebant; cum vero Deus accessisset, etiam mulier una prophetae illi terribilis visa est. Accessit Deus, et natura humana redarguta fuit.» Et paulo post: «Non uno, aut altero, sed quadraginta diebus aufugit, et ad regionem omnino desertam se contulit, non nutrimentum, non cibum aliquem secum ferens; nam tanquam ebris praemelu, caetera nihil curabat, sed desertas tantum regiones sequebatur.» Idem pene hic habent Angelomus et Rabanus: «Sancti, inquam, viri, subleante spiritu, ad summa rapiuntur, quando vero in hac vita sunt, ne superbiant, tentationibus reprimitur.»

Addit S. Chrysostomus Deum voluisse hoc metu punire crudelitatem Eliae, quae 800 pseudoprophetas occiderat. Verum hoc est improbable, cum hoc fecerit jussu Dei ex zelo, ad tollendam idololatriam.

Secundo, quia Jezabel videns prophetas suos omnes ab Elia occisos, furebat contra Eliam, ad eum dirissime exarnificandum, et habebat in manu Achab regem maritum suum, per quem poterat innumeros milites in Eliam immillere. Quare magis timuit Elia Jezabelem, quam Achab et Baalitis. Nam, ut ait Ecclesiasticus, cap. xxv, vers. 23: «Non est caput nequius super caput colubri, et non est ira super iram mulieris.» Unde S. Ambrosius, *epist. 23*, graviores aut esse tentationes mulierum, quam virorum, utpote quibus viri fortes vici prostratque sicut. Sic et S. Bernardus, *serm. 64* inter parvos. Hinc S. Petrus, qui pugnat contra totam cohortem, et Malcho autem amputarat, timuit ancillam, ejusque metu Christum negavit.

UT MORERETUR. — Dices: Elia fugiebat Jezabel volentem se occidere, fugiebat ergo mortem. Cur ergo animum hinc aufugit? Respondeo primo, quia

Juniperus sicut
crux.
Christi.

in fuga ejusque difficultatibus, et viæ ærumnis crevit labor, indeque dolor, et meror Eliæ, qui ita eum depressit, ut optaret mortem ad ærumnas tot tantasque evadendas, quam prius fugerat. Sic videmus eos, qui pestem mortemque evaserunt, si postea in graviores tribulationes et pericula incidant, optare dicereque: Ulinam mortuus fuisset cum sociis, ulinam pestis me cum cæteris abstulisset. Tales fuere Græci, qui capta Troja redeuntes, acerrima tempestate jactati optarunt se in obsidione Trojæ occubuisse:

Quid fata possunt? invidet Pyrrhus patri;
Ajæci Ulysses, Hectori Atrides minor:
Primo Agamemnon. Quisquis ad Trojam jacet
Felix putatur, (sive Seneca in *Agamemnone*).

Secunda et potius causa fuit, quod Elias timeret occidi a Jezabele, non quod mortem metuere, sed ne videretur superatus et victus a Jezabele, et cum ipso vera Dei religio. Jezabel enim jactasset se occidisse Eliam, et cum eo supplantasse Dei fidem et cultum. Optat ergo a Deo sibi mortem immitti, ne illa a Jezabele inferatur non tam sibi, quam Dei cultui et religioni. Sic Herodias occidit S. Joannem Baptistam Eliæ antitypum, et Eudoxia, S. Chrysostomum. Vide S. Petrum Damianum, tom. II, serm. 2 *De S. Vitali*.

Allegorice, Elias representat hic infirmitatem Christi parentis in horto. Ita Rupertus, lib. V, cap. x.

SUFFICIT MIHI, DOMINE (huc usque vixisse, ac tot tantisque beneficiis a te ornatum fuisse. Sufficit mihi vixisse Achab, et pseudopropheta occidisse). TOLLERE ERGO ANIMAM MEAM, — ne eam tollat Jezabel cum meo regno ac tuo dedecore et infamia.

NEQUE ENIM MELIOR SUM QUAM PATRES MEI, — tum prisci Abraham, Isaac, Jacob, etc.; tum proximi, nimirum propheta jam ante a Jezabele occisi, quos ego ut me seniores et patres, imo ut martyres venero.

5. PROJECTIQUE SE ET OBDORMIVIT IN UMBRA JUNIPERI, — ex lassitudine itineris, et ex merore animi. Porro umbra juniperi exilis est, cum juniperus pro frondibus spinas habeat, et noxia. Nam, ut ait Virgilius, *Elogia* 10: «Juniperi gravis umbra»: quare umbra hæc potius capitis dolorem et merorem in Eliam auxit, quam minuit. Unde umbra hęc typus est humanorum presidiorum, quæ cum vana sint et noxia, ad eam tamen confugiunt homines, dum potius ad Dei Christique umbram et protectionem, velut utilem et solidam confugere debent cum sponsa, quæ ait *Cantic.* cap. II, vers. 3: «Sub umbra illius, quem desideraveram sedi, et fructus ejus dulcis gutturi meo.» Et cum Jeremia, *Thren.* IV, 20: «Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In umbra tua vivemus in Centibus.» Christus enim, ut ait S. Bernardus, serm. 2 *Super missus est*, parvulos ad se confugiunt sub umbra aliarum suarum protegere

non desinit, sive ab æstu carnalium desideriorum, sive a facie impiorum, qui eos affligerunt. Bona et desiderabilia umbra sub alis Jesu, ubi tutum est fugientibus refugium, gratiam fessis refrigerium. » Hinc rursus Jeremia, cap. XVII, vers. 3: «Maledictus, inquit, homo qui confidit in homine, etc. Erit enim quasi myrica in deserto, et non videbit cum venerit bonum. Benedictus vir qui confidit in Domino.»

7. GRANDIS TIBI RESTAT VIA, — usque in montem Horeb, ut ibi videas et audias Deum vers. 11, uti vidit et audivit Moyses. Sic cuique fidei grandis restat via ad culmen sanctitatis et perfectionis, et grandior via restat in cœlum empyreum.

8. ANBULAVIT IN FORTITUDINE CIBI ILLIUS QUADRAGINTA DIERUM ET QUADRAGINTA NOCTIBUS USQUE AD MONTEM DEI HOREB. — Hinc patet hunc cibo et panis admirandam a Deo inditam fuisse virtutem, ut Eliæ vires sufficerent ad iter agendum sine alio alimento per 50 dies et noctes. Unde Auctor *Mirabilium S. Scriptur.* lib. II, cap. xii, assertit panem hunc mirabiliter factum manibus Angelorum, licet Abulensis naturalem et communem putet fuisse, cui Deus hæc vim ad confortandum Eliam indiderit, ut alio cibo non indigeret.

Tropologiam totius historiae habet S. Bernardus toto serm. 64 inter parvos.

Allegorice per panem hunc Eliæ, Patres accipiunt Eucharistiam, cujus virtute per 40 dies, id est per totam vitam, quæ nobis est tempus jejuni et penitentiae, ambulamus «ad montem Dei Horeb,» ut scilicet videamus «Deum deorum in Sion.» Ita Paschasius Radbertus, lib. *De Sanguine et Corpore Domini*, cap. x; Algerus, lib. II *De Sacramento Altaris*, cap. 1; Rupertus, lib. V, cap. x; R. Samuel Marochius, lib. *De Adventu Messie*, cap. xx.

Anagogice, panis hic representat suavissimam refectionem Sanctorum in cœlo, per quam non 40 diebus, sed per omnem æternitatem sine cibo sani, fortes, læti et gloriosi permanebunt. Ita Rupertus.

QUADRAGINTA DIERUM, — sine alio cibo, ideoque jejunos. Paucorum dierum iter est a Bersabee usque in montem Horeb, scilicet quatuor, vel quinque; presertim cum Elias tam nocte quam die ambularet, et timor et adderet alas, ait Serarius. Unde patet eum metu, pavore, merore et angore percussum, vagabundum incesse, huc illaqueo divertendo, quo eum voluntas ferebat, non autem rectum tenuisse iter; ac forte nec sibi in animo præfixisse viæ terminum, scilicet ire in Horeb, Ita Abulensis.

Nota hic Eliam jejunasse 40 diebus, æque ac fecit Moyses, et postea Christus, cujus imitatione Ecclesia instituit jejunium Quadragesimæ.

Scriptis S. Ambrosii librum *De Elia et jejuniis*, in quo ostendit commoda jejunii, adfertque varia hæc de re et sacra Scriptura exempla, æque ac notamenta ebrietatis et intemperantiae.

HOREB. — «Horeb» est mons Sinai, uti ostendit *Exodi* cap. XVII, vers. 6, in quo Moyses legem a Deo accipiens «uni eo colloctus est, *Exodi* XIX, ut scilicet in eodem Eliæ pro lege Dei patiens et pugnant, cum eodem colloqueretur, et modum ad eum propugnandum ab eo acciperet.

9. MANST IN SPELUNCA. — In hac spelunca (ut videtur) Moyses a Deo oblectus, *Exodi* XXXIII, 22, vidit tergum et gloriam Dei pertransuentis, ideoque in illa eandem vidit hic Elias, sed alio schemate. Moyses enim vilit in specie ingentis lucis et splendoris. Elias vero in specie sibili aure tenuis; Ita R. Salomon, Lyranus et alii. Hinc spelunca hæc prisca fuit in magna veneratione, adeoque Josephus, lib. II *Antiq.* cap. XII, tradit, ante Moysis ætatem, locum illum ita antiquis visum esse sacrum, ut pastores religione quadam prohiberentur greges ad illum montem appellere, quia ibi divinum esse aliquid suspicabantur.

Symbolice S. Gregorius, lib. II in *Ezech.* homil. 13: «Elias, ait, cum vocem Domini secum loquentis audiret, in spelunca suæ ostio stetit, describitur, et faciem velasse; quia cum per contemplationis gratiam vox supernæ intelligentiæ fit in mente, totus homo jam intra speluncam non est, quia animam carnis cura non possidet, sed stat in ostio, quia mortalitatis angustias exire meditatur. Sed jam qui in ostio speluncæ consistit, et verba Dei in aure cordis percipit, necesse est ut faciem velet: quia dum per supernam gratiam ad altiora intelligenda decimur, quanto sublimius levamur, tanto semper per humilitatem nosmetipsos intellectu nostro premere debemus, ne conemur plus sapere, quam oportet sapere.» Et nonnullis interjectis: «Aurem enim intendere, et faciem operire, est vocem interioris substantiæ audire per mentem, et tamen ab omni specie corporea oculos cordis avertere, ne quid sibi in illa corporale animus fingat, quæ ubique tota, et ubique circumscripta est.»

10. ZELO ZELATUS SUM PRO DOMINO DEO EXERCITIUM, — ut tollerem cultum Baal et idolorum, et ideo 850 eorum anilistites occidi. Rursum verbi potest cum Vatablo, *intra zelotypia tenor pro Domino Deo*, q. d. Crucior in honorem Dei quadam quasi zelotypia, et quasi sustinerem Dei personam; crucior, cum videam synagogam, quæ sponsa est Dei, ab eo deficiere, et ad Baal quasi ad adulterrum transire.

ALTARIA TUA DESTRUXERUNT. — Præter altare enim a Deo constitutum in templo Jerosolymæ, multi ab ea remoti in montibus vicinis altaria Deo vero exerebant, quæ vocabantur «excelsa,» in hisque sacrificabant, quæ licet Deo minus placere, tamen ipse ea spiritu hæretico et impio, quasi illa essent Dei falsi, non veri, everti volebat. Ita Abulensis et Serarius.

11. ET STA IN MONTE CORAM DOMINO: ET ECCE DOMINUS TRANSIT, ET SPIRITUS GRANDIS ET FORTIS SUBVERTENS

MONTES, ET CONTERENS PETRAS ANTE DOMINUM: NON IN SPIRITU DOMINUS; ET POST SPIRITUM COMMOTIO. NON IN COMMOTIONE DOMINUS; ET POST COMMOTIONEM IGNIS, NON IN IGNE DOMINUS; ET POST IGREM SIBILUS AURE TENUS. — Hebraice, *sibilus*, vel *vox tacta*, sive submissa et gracilis. Septuaginta addunt *κῆπος*, id est *et ibi* (in sibilu) *Domus*.

Nota finem et scopum hujus visionis fuisse, ut Deus Eliam ira, tedio et dolore ob licentiam, impunitatem et scelera Jezabelis, et Baltharum successum consolaretur, mitigaret et erudiret. *Primo* ergo ipsis oculis et sensibus, offert venturum validissimum, adeo ut is videretur subvertiturus montes, et contriturus petras; mox ingentem terræ motum; deinde ignem ardentem et flagrantem, q. d. Mihi, o Elia, venti, terra, ignes, adeoque omnia elementa, omnesque creatura medie, summa et imæ ad manum sunt, ut idololatrias et Jezabelem perdam: a hic modus providentiæ et clementiæ mea non est ordinarius et usitatus, nec congruus; ideoque nolo eo uti, unde ait: «Non in eo Dominus.» Quarto denique loco Deus auribus Eliæ offert lenem auram, sive spiritum et sibilum representantem se, et suam clementiam ac providentiam: spiritus enim hic lenis significat Dei patientiam et longanimitatem ad puniendam peccata, quam imitari et induere debent Elias, et quisvis vir Apostolicus. Ita S. Irenæus, lib. IV *Contra hæres.* cap. XXXVII: «Dicitur, ait, propheta turbator et concitator ad vindictam mitius agere.» Et Tertullianus, lib. *De Patientia*, cap. XV: «Sedet in throno spiritus eius (id est Dei) mitissimi et mansuetissimi, qui non turbine glomeratur, non nubilo livet, sed est tenere serenitatis apertus et simplex, quem tertio vidit Elias: nam ubi Deus, ibi et alumna ejus, patientia scilicet.» Et S. Macarius, *homil.* 6: «Ecce, inquit, vox auræ tenuis, et in ea Dominus. Liquet ergo quod quies Domini sita est in pace et tranquillitate.» Et Theodoretus, *Quæst.* LVII: «Per hoc, ait, ostendens quod lenitas, benignitas et clementia sola est Deo grata: unumquodque autem aliorum attrahit hominum improbitas.» S. Chrysostomus, *homil.* 4 *De Elia*, in fine asserit, ideo Deum cito rapuisse Eliam, ne, si diutius viveret, igne et zelo ejus perderetur orbis, sed in æclum severum Eliæ severior est Chrysostomus. Sic et Procopius.

Secundo, hic lenis spiritus sive sibilus detulit vocem Dei ad Eliam, quæ Deus eum nimis perturbatum, pusillanimum, putantemque se unicum superesse Dei cultorem et prophetam, erudit; unde ait: «Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal,» *Roman.* cap. XI, vers. 4.

Tertio, spiritus hic subtilis significabat Dei virtutem, efficacitatem et vindictam omnia penetrantem. Unde indicavit Eliæ modum vindictæ in Baalitis exercendæ per Hazael, Jehu et Elisæum, non per ventum, terræ motum et ignem. Ita Ca-

Jetanus et Antonius Fernandus in *Visionibus veteris Testamenti*, visione 9.

Igitur spiritus hic lenis simul erat subtilis et acer. Deus enim Dei que sapientia et providentia operatur, et cęsigt tam fortiter, quam suaviter. Igitur Deus hęc visione non volebat Elię zelum vindictę improbare, sed moderari duntaxat, ut non fieret ex ira et perturbatione animi, qualis erat in Elia; sed ex lenitate et amore justitię. Unde mos eidem vindictę rationem et modum prescribit, scilicet ut ungat in regem Hazael et Jehu, ac Eliseum in prophetam, ut ipsi eandem peragant.

Porro hęc omnia per Angelos, utpote Dei ministros, ut ait Apostolus, *Hebr.* cap. 1, 14, facta sunt. Unde Chaldaus vertit: *Eccc gloria Domini revelatur, et ante eum erat exercitus Angelorum venti disruptentium montes, et confringentium petras ante Dominum: non erat in exercitu Angelorum venti majestas Domini, et post exercitum Angelorum venti erat exercitus Angelorum commotionis* (excitantium terrę motum): *non erat in exercitu Angelorum commotionis majestas Domini: et post exercitum commotionis, exercitus Angelorum ignis: non erat in exercitu Angelorum ignis majestas Domini: et post exercitum Angelorum ignis vox cęntium in silentio, quasi demulcentium Elię animum moerentem et perturbatum.*

Symbolice, hęc visione significatur Dei natura et majestas; que non est ventus, nec terra, nec ignis, nec aliud corpus, sed subtilissimus, milissimus et purissimus spiritus. Hęc ergo Dei apparitio fuit quasi « scintillatio divinitatis, » ut loquitur Tertullianus, que sui reverentiam a nobis extorquet. Rursum, significatur hic Dei indoles, cui propria est lenitas et clementia. Tonat Deus, fulminat, fulgurat, conculcit montes, sed id quodammodo facit invitus et « tæctus dolore cordis intrinsecus, » quia proprium est illius misere et parcere; atque ideo non inhabitare dicitur in turbine et igne, quia hęc aliquid sonant horribile et humanis commodis importunum, sed in aura tenni, que recreat et reficit laborantem spiritum, ait Sanchez ex Theodoro, etc. Sic et S. Gregorius, libro V *Moralium*, cap. xxvi, cuius verba mox recitabo.

Allegorice, representabatur Christi Salvatoris in mundum venturi spiritus fore diversus, et adversus spiritum Moysi, Elię et legis veteris. Deus enim in Horeb, sive Sina, dans legem Moysi, audivit tonitruum, micare fulgura, ignes coruscare, montem tremere; *Exodi* xix et xx, ut duos Judęos sui suęque legis metu percelleret. Idem fecit hic Elias, cum per eum violatam legem, suęque cultum restaurare vellet. At vero cum Filius Dei in carcerem descendit, venit in spiritu lenitatis et mansuetudinis, juxta illud *Isaie* xlii, 1, quod citat S. Mattheus; cap. xii, 49: « Non contendet, neque clamabit, neque audiet aliquis in platea vocem ejus; arundinem quassatam non confrin-

get, et linum fumigans non exstinguet. » Unde, cum Joannes et Jacobus vellent ut Christus in Samaritanos eum non recipientes instar Elię e celo vibraret ignes et fulmina, ipse eos repressit, dixitque: « Nescitis cuius spiritus estis. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare. » *Luce* ix, 55. Ita S. Irenęus, lib. 1^o cap. xxxvii: « Domini, inquit, adventus significabatur post legem, que data est per Moysen, mitis et tranquillus, et regni ejus mitis et mansueta requietio. » Et Rupertus: « Non in variis, inquit, Judęorum captivitatibus erat finis, nondum venerat Messias; sed in spiritu aure lenis, id est occultus et secretus fuit ejus adventus, quem quasi de aura tenni, id est de Spiritu Sancto Maria Virgo concepit. » Hunc spiritum lenitatis Christus commendavit et impressit S. Petro. Paulo cęterisque Apostolis et fidelibus. Unde hic est spiritus legis gratię et novi Testamenti, qui longe potentior et efflicior est spiritu timoris et terroris veteris Testamenti. Iluc facit apologus de Euro vento validissimo certante cum sole, uter esse potentior, uter scilicet viatori pallium excuteret. Sane non excussit Euris, imo viator Euro flante magis pallio se involvit, ut Euro resisteret; sed illud ei suo ardore et calore sudorem ei exortians extorsit sol: simili modo plus valet, plus potest lenitas quam violentia; plus amor quam timor, plus ardor quam terror. Recitat fustus hunc apologum B. Petrus Damianus, lib. 1, epist. 16 ad *Alaxandru*. II *Pont.* additque: « Si Roboam senum consiliis acquiescens populo mita respondisset, totum Israel sui juris imperio subdidisset; sed quia cętorum suorum superbię credidit, divisus a se decem tribubus, sublimem regni potentiam humilem fecit. Rhinoceros etiam qui rabida persequentium canum ora cęlestissima pernicitate contemnit, capi se gremio blande virginis non pavescit. »

Porro S. Gregorius, lib. V *Moral.* cap. xxv, explicans illud *Job*, cap. iv: *Et vocem quasi aure lenis audivi*: « Quid, inquit, per vocem aure lenis nisi Spiritus Sancti cognitio designatur. Qui tamen super Apostolos veniens per exteriorem sonum, tanquam per vehementem demonstratur, cum dicitur: Factus est repente de celo sonus tanquam adventientis spiritus vehementis. Sanctus enim Spiritus cum se notitia humane imbecillitatis insinuat, et sonitu vehementis spiritus, et voce aure lenis exprimitur, quia scilicet veniens et vehementis est et lenis; lenis, quia notitiam suam quatenus cognosci utcumque valeat nostris sensibus temperat vehementem, quia, quantumlibet hanc temperat, adventu tamen suo infirmitatis nostrę cęcitatem illuminando perturbat. »

Tropologicę significatur hic primo, modus quo Deus penitentes et perfectios studiosos exercet et disponit, ut eos ad perfecti onem suęque familiaritatem perducat. Primo enim eos terrore mortis, iudicii et gehennę quasi vento validissimo terrę motu et igne percellit, compungit,

ciet lacrymas, ac deinde ut spiritus aure lenis eos mulcet, adoptat, recreat, et ad altum contemplationis verticem sustollit. Audi S. Gregorium, lib. V *Moral.* lxxvi: « Spiritus ante Dominum everit montes, et petras conculcit, quia pavor qui ex adventu ejus irruit, et altitudinem cordis nostri dejicit, et duritiam liquefacit; sed spiritu commotionis, et igni non inesse Dominus dicitur; esse vero in sibilo aure lenis non negatur. Quia nimirum mens cum in contemplationis sublimitate suspenditur, quicquid perfecte conspiciere prevalet Deus non est. Cum vero subtile aliquid conspiciat, hoc est quod de incomprehensibili substantia eternitatis. Quasi enim sibi hunc lenis aure percipimus, cum suporem incircumscripse veritatis contemplatione subita degustamus. »

Idem prestitit Deus Elię, dum eum, post terrores, luctas et pugnas cum Baalitis, curru igneo rapuit in cęstum, ubi aure lenis, id est plena pace mentis et corporis fruitur. Simili modo ergo, qui tentationibus agitatur, non demittat animum; sed sciat ei succurrerem « spiritum aure lenis, » id est consolationem, quietem et gaudium.

Secundo, traditur hic forma, ait Sanchez, viris Apostolicis et Prælati, que in corrigendis, aut puniendis diviņe legis transgressoribus servari debeat; nempe ut illa imitetur, que maxime sent in rerum natura violenta, ventum nimirum, qui conculcit atque subvertit montes; et ignem, qui consumit et dissipat omnia, idque celeritate incredibili, neque suavitate assumat tennem et refrigerantem aure, donec Deum advenire videat, quem antecedit quasi stratores viarum et praecursores ad parandum hospitium, ventus, commotio, ignis.

Vers. 13. 43. QUOD CUM ADUISSET ELIAS. — Audiebat enim ventum valide persreptentem, terrę motum locum conquassantem, auram tennem sibilantem; ignem vero partim audiebat, utpote stridentem, partim vero videbat, utpote lucentem.

OPERUIT VULTUM SUUM PALLIO, — ut Deo se hisce signis ostendit reverentiam exhiberet, quasi indignus qui in eum aspiceret, eumque contueretur.

Vers. 14. 14. PROPHEtas TUOS OCCIDERUNT GLADIO (quia sese opponerebant cultui Baal), DERELICTUS SUM EGO SOLUS (propheta et zelator vere religionis, qui me valide eidem oppono), ET QUERUNT ANIMAM MEAM, — ut me occidant; me ergo occiso nullus supererit propheta, nullus zelator, qui tuum cultum propugnet et Baaliti sese opponat. Actum ergo est de vera religione, de tuo cultu, de tota Synagoga; omnia occupat impia Jezabel; ubique colitur Baal; ubique exultat perfidia et idololatria. Hęc est causa mei doloris et meroris, mee fuge et exilii, ut mori optem potius quam vivere; et videre tanta mala gentis mee et populi Dei. Ita Elias merore, ira et zelo confectus.

Vers. 15 et 16. UNGES HAZAEL REGEM SUPER SYRIAM, ET JERU FILIUM NANSI UNGES REGEM SUPER ISRAEL: ELI-

SEUM AUTEM, etc., UNGES PROPHEtam PRO TE, — ut hi ultionem justam de Baaliti, quem tu, o Elia, adeo desideras, reipsa peragant. Unde in Elię laudibus dicitur *Ecclesiast.* xvi, xlviii, vers. 8: « Qui ungit reges ad penitentiam, » id est ad penam et ultionem impiorum, ut sint divini cultus vindicę. « Unges regem, » id est regem designabis, regnum ei deferres. Est catachresis: quia enim unctione creabantur reges, hinc *ungere* est regem creare. Nam Hazael non fuit unctus ab Elia, sed designatus rex ab Eliseo, quem ad eum misit Elias: Jehu vero in regem Israel metus fuit ab Eliseo discipulo, ut patet *IV Reg.* viii, 13 et seq. Raque Elias hęc jussa Dei exsecutus fuit per Eliseum, quem ideo jussu Dei sibi subrogavit. Sic Eliseum non legitur unctum, sed immissum ab Elia in eum pallio designatum prophetam, vers. 19. Ita Theodoretus, Rabanus, Dionysius, Abulensis, Sallianus.

Sanchez tamen « unges proprie accipit, cęntesque omnes hos tres ab Elia fuisse unctos, licet id Scriptura factum non narret. Ideo enim videtur Elias jussu Dei rediisse per desertum in bamascum, que longior et inanimior erat via, ut ita Hazael in regem ungeret; esto enim Hazael postea rursus ab alio unctus sit, tamen nil prohibet eum prius ab Elia fuisse unctum. Sic enim David et Saul ibi uncti fuerunt. Hęc sententia probabilis est, atque tunc verum proprie ad litteram accipit.

QUI EST DE ABELMEULA. — Erat hęc urbs in tribu Manasse cis Jordanem. Fuit ergo Eliseus de tribu Manasse, sicut Elias de tribu Gad. Ita S. Hieronymus, Sallianus, Adrichomius et alii; licet S. Epiphanius et Isidorus in *Vita Elię*, dicant eum fuisse oriundum ex tribu Ruben, qui et addunt in ortu Elię mugisse unam et vitulis arctis, quos conflavit Jeroboam, et illius mugulum auditum fuisse Hierosolymis, et ex eo Sacerdotem quemdam prudentem conjectasse, eo die aliquo esse natum, qui futurus esset scullpitibus omnibus atque idolis exterminium.

17. ET ERIT, QUICUNQUE FUGERIT GLADIUM HAZAEL, OCCIDET EUM JERU. — Quomodo Hazael et Jehu occiderint idololatrias, audiemus in sequentibus.

ET QUICUNQUE FUGERIT GLADIUM JERU, INTERFICIT EUM ELISEUS, — gladio non corporali, sed spiritali, puta gladio lingue, qua eos acriter redarguet minabiturque mortem presentem et eternam, inquit Angelomus, Rabanus et Iugo. Planius accipias hęc de gladio et morte corporali; illo enim idololatrias occiderunt Hazael et Jehu, quibus hic Eliseus comparatur. Eliseus enim occidit 42 pueros idololatarum filios sibi insultantes, dicentesque: « Ascende, calve, » *IV Reg.* ii, ac verisimile est eum, instar Elię magistri sui, juxta hoc oraculum plures alios idololatrias interfecisse, etsi Scriptura id non commemorat. Ita Abulensis, Lyranus, Cajetanus, Sanchez et alii.

18. ET DERELINQUAM MIHI IN ISRAEL SEPTEM MILLIA

VIRORUM, QUORUM GENUA NON SUNT CURVATA ANTE BAAL. — Opponit Deus septem millia illi, quod dixerat Elias vers. 14: « Derelictus sum ego solus, » *q. d.* Falleris, Elia, non es solus. Ea Eliseus tibi accedit: en septem millia virorum Deicolarium, que « derelinquam. » Hebraice וְשֵׁשׁ עָשָׂר אֲנִי אֵשֶׁתִּי, id est remanere faciam, reservabo, custodiam, ne a Jezabel occidantur, aut pervertantur, et ad cultum Baal traducantur.

ET OMNE OS QUOD NON ADORAVIT EUM, OSCULANS MANUS. — repete « derelinquam, » id est custodiam et in vita conservabo. Sensus totius versus est, *q. d.* Et custodiam septem millia virorum, qui non flexerunt genua ante Baal, nec osculando manum cum adorant: erat enim hoc duplex genus adorationis, genuflexio et osculatio manus. *Osculans manus*, Hebraice *osculans eum*, scilicet Baal, ut eum osculo hoc salutet et adoret, quasi suum Deum et Dominum. Noster vertit, « osculans manus, » ut notet ritum modumque adorandi, qui erat osculari manum idoli, vel manum propriam eo ritu et gestu quasi oscularetur manum idoli, utpote remoti, vel longe positi. Hunc ritum insinuat Job, cap. xxxi, vers. 26: « Si vili solem cum fulgeret, et lunam incedentem clare, et latatum est in abscondito cor meum, et osculatus sum manum meam ore meo. » Hujus consuetudinis externi quoque meminerunt Plinius lib. XXVIII, cap. II: « Inter adorandum dexteram ad osculum referimus. » Minutius in *Octavio*: « Cæcilius, simulacro Serapidis viso, ut vulgus supersticiosus solet, manum ori admoveans, osculum labiis impressit. »

19. REPERIT ELISEUM FILIUM SAPBAT ARANTEM IN (cum) DUODECIM JUGIS BOVM. — Erat ergo Eliseus agricola, locuples, utpote qui haberet duodecim juga bovm, iisque agrum ingentem coleret. Nam boves hos ipsius fuisse patet ex vers. ult., ubi ipse par bovm mactavit pro populo, quo suis valedixit.

ET IPSE IN DUODECIM JUGIS BOVM ARANTIBUS UNUS ERAT. — Nam quodque jugum bovm, sive par bovm suum habebat aurigam et aratorem; quare duodecim erant hic juga bovm, et pariter duodecim aratores, e quibus unus erat Eliseus.

MISIT PALLIUM SUUM SUPER ILLUM, — ut eum vocaret ad se sequendum, eumque faceret sibi socium sui que instituti participem, uti jam novitius in Religione datur pallium, sive vestis ejusdem Religionis. Simili modo olim sponsus, sponsam

duxerat, tegebat eam pallio suo. Unde illud

Ruth ambientis nuptias Booz, cap. III, vers. 9:

« Expande pallium tuum super famulam tuam; et illud *Ezech.* xvi, 8: « Expande amictum meum super te. » Hac ergo cerimonia institutus est Eliseus propheta socius et successor Elie, ejusque cor omnino a Deo immutatum est, atque ex laico factus est Religiosus, ex agricola Propheta, ex idiota Theodidactos. Unde statim reliquit boves, domum, parentes, et secutus est Eliam. Addit Sanchez eum fuisse unctum ab Elia; hoc enim jusserrat Deus, vers. 16. Unctio, inquit, Eliseum fecit Prophetam (hic enim ungi solebat); pallium autem, Elie contubernalem et monachum.

20. QUOD ENIM MEUM ERAT, FECI TIBI, — *q. d.* Ego non nisi pallio te tetigi; sed Deus cor tuum tetigit, illudque ex carnali fecit spirituale et caeleste, ut omnia reliquas, et alacer me sequaris, ceteraque ut ego cum idololatriæ.

21. TULIT PAR BOVM ET MACTAVIT ILLUD, ET IN ARATRO BOVM COXIT CARNES, ET DEDIT POPULO ET COMEDERUNT. — Eliseus, quia festinabat et gestiebat illico sequi Eliam, idcirco usus est aratro pro lignis, ad coquendum carnes bovm. Dedit ergo tympum et exemplum nobis, ut Dei vocationem illico, resolute et constanter sequamur, uti notant Cajetanus et Abulensis. Celebravit enim convivium quo suis valedixit, ut ostenderet se boves, aratrum, agrum omniaque relinquere, ac latum sequi Eliam. Hinc colligit Abulensis eum fuisse juvenem et *ἄρμα*, id est sine uxore et cælibem: alioqui enim petisset ab Elia facultatem salutandi tam uxorem et filios, quam patrem et matrem. Rursus Eliseus, ait Abulensis, nihil voluit sibi reliquum manere in sæculo, ut liber et expeditus transiret totus ad Dominum: idcirco aratrum et boves consumpsit, qua in re exemplum dedit Religiosis, ut idem faciant. Hinc et S. Ignatius, *epist. ad Philadelph.*, Eliseum asserit fuisse cælibem et virginem: nimirum Eliseus Dei vocantis instinctu jam superior erat omni terrena cupiditate. Nam, ut ait S. Cyprianus, tract. *De Oratione Domini*, ad illa: « Adveniat regnum tuum: Qui renuntiavit jam sæculo, major est et honoribus ejus et regno; et ideo qui se Deo et Christo dedit, non terrena, sed caelestia regna desiderat; » imo Deum ipsum, « quia in illo regnaturi sumus. » Et S. Ambrosius, lib. VI *De Sacram.* cap. v: « Si Deus in vobis regnat, locum habere adversarius non potest. Culpa non regnat, peccatum non regnat: sed regnat virtus, regnat pudicitia, regnat devotio. »

CAPUT VIGESIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Benadad rex Syriae obsidet Samariam et Achab; sed ab eo Dei ope caditur. Unde, vers. 23, dicens Deum Israel esse Deum montium, in valle reparat bellum, in qua rursum Dei ductu profugatur; captosque ab Achab veniam vitæque contra jussum Dei impetrat, vers. 33. Achab a propheta vulnerato redarguitur, auditque se simili modo vulnerandum, imo occidendum, eo quod Benadad dignum morte liberum dimiserit.

1. Porro Benadad rex Syriae congregavit omnem exercitum suum, et triginta duos reges secum, et equos, et currus: et ascendens pugnabat contra Samariam, et obsidebat eam. 2. Mittensque nuntios ad Achab regem Israel in civitatem, 3. ait: Hæc dicit Benadad: Arguentium tuum, et aurum tuum meum est; et uxores tuæ, et filii tui optimi, mei sunt. 4. Responditque rex Israel: Juxta verbum tuum, domine mi rex, tuus sum ego, et omnia mea. 5. Revertentesque nuntii, dixerunt: Hæc dicit Benadad, qui misit nos ad te: Argentum tuum, et aurum tuum, et uxores tuas, et filios tuos dabis mihi. 6. Cras igitur hac eadem hora mittam servos meos ad te, et scrutabuntur domum tuam, et domum servorum tuorum; et omne quod eis placuerit, ponent in manibus suis, et auferent. 7. Vocavit autem rex Israel omnes seniores terræ, et ait: Animadvertite, et videte, quoniam insidietur nobis; misit enim ad me pro uxoriis meis, et filiis, et pro argento et auro; et non abnui. 8. Dixeruntque omnes majores natu, et universus populus, ad eum: Non audias, neque acquiescas illi. 9. Respondit itaque nuntiis Benadad: Dicite domino meo regi: Omnia propter quæ misisti ad me servum tuum in initio, faciam; hanc autem rem facere non possum. 10. Reversique nuntii retulerunt ei. Qui remisit, et ait: Hæc faciant mihi dii, et hæc addant, si suffecerit pulvis Samariæ pugillis omnis populi qui sequitur me. 11. Et respondens rex Israel, ait: Dicite ei: Ne gloriatur accinctus æque ut disinctus. 12. Factum est autem, cum audisset Benadad verbum istud, hibeat ipse et reges in umbraculis, et ait servis suis: Circumdate civitatem. Et circumdederunt eam. 13. Et ecce propheta unus accedens ad Achab regem Israel, ait ei: Hæc dicit Dominus: Certe vidisti omnem multitudinem hanc nimiam? ecce ego tradam eam in manu tua hodie, ut scias quia ego sum Dominus. 14. Et ait Achab: Per quem? Dixitque ei: Hæc dicit Dominus: Per pedisequos principum provinciarum. Et ait: Quis incipiet præliari? Et ille dixit: Tu. 15. Recensuit ergo pueros principum provinciarum, et reperit numerum ducentorum triginta duorum; et recensuit post eos populum, omnes filios Israel, septem millia; 16. et egressi sunt meridie. Benadad autem hibeat temulentus in umbraculo suo, et reges triginta duo cum eo, qui ad auxilium ejus venerant. 17. Egressi sunt autem pueri principum provinciarum in prima fronte. Misit itaque Benadad. Qui nuntiaverunt ei, dicentes: Viri egressi sunt de Samaria. 18. Et ille ait: Sive pro pace veniunt, apprehendite eos vivos; sive ut præliantur, vivos eos capite. 19. Egressi sunt ergo pueri principum provinciarum, ac reliquus exercitus sequebatur. 20. Et percussit unusquisque virum, qui contra se veniebat; fugeruntque Syri; et persecutus est eos Israel. Fugit quoque Benadad rex Syriae in equo cum equitibus suis. 21. Nec non egressus rex Israel, percussit equos et currus, et percussit Syriam plagam magnam. 22. (Accedens autem propheta ad regem Israel, dixit ei: Vade, et confortare, et scito, et vide quid facias; sequenti enim anno rex Syriae ascendet contra te.) 23. Servi vero regis Syriae dixerunt ei: Diu montium sunt dii eorum, ideo superaverunt nos; sed Jaelius est ut pugnemus contra eos in campestribus, et obtinebimus eos. 24. Tu ergo videri hoc fac: Amove reges singulos ab exercitu tuo, et pone principes pro eis; 25. et instaure numerum

millium qui ceciderunt de tuis, et equos secundum equos pristinos, et currus secundum currus quos ante habuisti : et pugnabimus contra eos in campestribus, et videbis quod obtinebimus eos. Credidit consilio eorum, et fecit ita. 26. Igitur postquam annus transierat, recensuit Benadad Syros, et ascendit in Aphec, ut pugnaret contra Israel. 27. Porro filii Israel recensiti sunt, et acceptis cibariis profecti ex adverso, castraque metati sunt contra eos, quasi duo parvi greges caprarum : Syri autem repleverunt terram. (28. Et accedens unus vir Dei, dixit ad regem Israel : Hæc dicit Dominus : Quia dixerunt Syri : Deus montium est Dominus, et non est Deus vallium ; dabo omnem multitudinem hanc grandem in manu tua, et scietis quia ego sum Dominus). 29. Dirigebantque septem diebus ex adverso hi atque illi acies, septima autem die commissum est bellum : perusseruntque filii Israel de Syris centum millia peditum in die una. 30. Fugerunt autem qui remanserant in Aphec, in civitatem : et cecidit murus super viginti septem millia hominum, qui remanserant. Porro Benadad fugiens ingressus est civitatem in cubiculum quod erat intra cubiculum. 31. Dixeruntque ei servi sui : Ecce audivimus quod reges domus Israel clementes sint ; ponamus itaque saccos in lumbis nostris, et funiculos in capitibus nostris, et egrediamur ad regem Israel ; forsitan salvabit animas nostras. 32. Accinxerunt saccis lumbos suos, et posuerunt funiculos in capitibus suis, veneruntque ad regem Israel, et dixerunt ei : Servus tuus Benadad dicit : Vivat, oro te, anima mea. Et ille ait : Si adhuc vivit, frater meus est. 33. Quod acceperunt viri pro omine ; et festinantes rapuerunt verbum ex ore ejus, atque dixerunt : Frater tuus Benadad. Et dixit eis : Ite, et adducite eum ad me. Egressus est ergo ad eum Benadad, et levavit eum in currum suum. 34. Qui dixit ei : Civitates, quas tulit pater meus a patre tuo, reddam, et plateas fac tibi in Damasco, sicut fecit pater meus in Samaria, et ego federatus recedam a te. Pepigit ergo fœdus, et dimisit eum. 35. Tunc vir quidam de filiis prophetarum dixit ad socium suum in sermone Domini : Percutite me. At ille noluit percutere. 36. Cui ait : Quia noluit audire vocem Domini, ecce recedes a me, et percutiet te leo. Cumque paululum recessisset ab eo, invenit eum leo, atque percussit. 37. Sed et alterum inveniens virum, dixit ad eum : Percute me. Qui percussit eum, et vulneravit. 38. Abiit ergo propheta, et occurrit regi in via, et mutavit aspersione pulveris os et oculos suos. 39. Cumque rex transisset, clamavit ad regem, et ait : Servus tuus egressus est ad præliandum cominus ; cumque fugisset vir unus, adduxit eum quidam ad me, et ait : Custodi virum istum ; qui si lapsus fuerit, erit anima tua pro anima ejus, aut talentum argenti appendes. 40. Dum autem ego turbatus huc illicque me verterem, subito non comparuit. Et ait rex Israel ad eum : Hoc est judicium tuum, quod ipse decrevisti. 41. At ille statim absternit pulverem de facie sua, et cognovit eum rex Israel quod esset de prophetis. 42. Qui ait ad eum : Hæc dicit Dominus : Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima ejus, et populus tuus pro populo ejus. 43. Reversus est igitur rex Israel in domum suam, audire contemnens, et furibundus venit in Samariam.

1. PORRO BENADAD REX SYRIÆ, etc., PUGNABAT CONTRA SAMARIAM. — « Benadad » idem est quod « Bon Adad », id est filius Adad, ait Josephus, lib. VIII, cap. VIII, nimirum rebellis illius Idumæi, qui, debellata a Davide Idumæa, fugit in Ægyptum, indeque mortuo Davide rediens, animos regnumque resumens, rebellavit Salomoni, cap. XI, vers. 25. Ideoque paternam indolem, et odium contra Israelem fovens, graviter et continuo eum afflicti. Unde cap. XI, versu 25, de eo dictum et predictum est : « Hoc est malum Adad, et odium contra Israel. »

Pollice, discere hic quam rebellio obstinata principum sit periculosa, et in filios per multa sæcula derivetur. Experiantur idipsum Hispani in Hollandia. Rebelio ergo in suo principio vel succidenda, vel concilianda est juxta illud : « Principiis obsta. »

3. HÆC DICIT BENADAD (ad Achab ejusque populum Israel) : ARGENTUM TUUM, ET AURUM TUUM MEUM EST, — non jure, sed potestate et imperio ; quia ego illud habere volo et æposco qui te sum potentior ut mihi resistere nequeas. Erant enim res Achab et Israelis afflictæ, ita ut in aciem

educere non possent nisi septem millia, vers. 14. Hic ergo incipit Deus punire Achab et Israeliticæ ob cultum Baal.

Vers. 5. 5. REVERTENTESQUE NUNTI (missi a Benadad obsequente Samaritæ ad Achab in ea obsessum), DIXERUNT.

Vers. 6. 6. CRAS IGTUR HAC EADEM HORA MITTAM SERVOS MEOS AD TE, ET SCRUTABUNTUR DOMUM TUAM, etc. — Est hæc nova Benadad petitio, qua petit ab Achab ut permittat a suis diripi non tantum regiam, sed et totam Samariæ civitatem, ait Josephus, ut scilicet spoliat urbem, et pretiosissima queque ex ea ad libitum auferat.

Vers. 10. 10. HÆC FACIANT MIHI DII, etc., SI SUFFECERIT PULVIS SAMARIÆ PUGILLIS OMNIS POPULI, QUI SEQUITUR ME, — q. d. Juro me deleturum totam Samariæ urbem, itaque eam eversuram, ut nec parvum pulveris in eo remaneat, sed quidquid in ea est auferatur in pugillis exercitus mei numerosissimi. Unde Chaldaeus vertit : Si suffecerit pulvis Sumeron (Samarie) ut feratur solis plantarum pedum populi qui mecum erit. Ita Abulensis. Est hyperbole et proverbialis locutio, quo gloriosus Benadad in 32 rebus se sequentibus, et copiis innumeris superbiens, jactat, juratque se Samariam eversurum, spoliaturum et rasurum, ut nihil in ea rapina dignum remaneat. Nec enim tam curiosi vel otiosi erant ejus milites, ut omnem pulverem e Samaria, quam ut omnes thesauros et omnia pretiosa ex ea efferrent. Aurum enim querebant, non arenam.

Vers. 11. 11. NE GLORIETUR ACCINCTUS EQVE UT DISCINCTUS. — Est adagium, q. d. Ne canas triumphum ante victoriam : « accinctus » enim miles vadit ad prælium ; parva vero victoria se discingit, arma ponit, et spoliis hostilibus incubat. Unde Chaldaeus : Ne laudet, inquit, se expeditus, et descendens in prælium, sicut vir qui vincit et ascendit (victor) ex eo ; Vatablus : Ne glorietur qui victurus est prælium perinde ac is qui jam vicit.

Vers. 23. 23. SERVI VERO REGIS SYRIÆ (Benadad) DIXERUNT EI : DI MONTIUM SUNT DII EORUM, IDEO SUPERAVERUNT NOS ; SED MELIUS EST UT PUGNEMUS CONTRA EOS IN CAMPESTRIBUS, ET OBTEINEBIMUS EOS, — q. d. Victi sumus a Samaritis montanis, quia pugnabimus in Samariam, quæ sita est in monte, ideoque in tutelâ est deorum qui montibus et montanis præstant ; descendamus ergo in vallis, ubi dii vallium nobiscum erunt, ut montanos et deos montium in vallibus superemus. Ita isti stolidi putabant Deum Hebræorum esse Deum montium duntaxat. Sed unde hic eorum error et stulta persuasio ? Respondere ex multis conglobatis, nimirum primo, quia Deos Hebræorum dux in monte Sina cum Deo collocatus ab eo legem acceperat. Secundo, quia in monte Sion erectum a Salomone erat templum, in quo Deus habitabat. Tertio, quia Hebræi Deum colebant in excelsis, scilicet collibus. Quarto denique, et quod maxime ad præsentem eladem facit, quia Syri in monte Sa-

Di montium un-
de ?

marie hanc stragem ab Israelitis acceperant. Hæc fuit Gentilium superstitio, ut montibus deos creandas, id est montanas, sylvas sylvanos, mari marinos, ut Neptunum, etc., præficerent, de quibus S. Augustinus, lib. IV De Civit. Dei, cap. viii, ubi eos montium jugis Jugatum deum, Collibus Collatum, Vallibus Valloniam deam præfœcisæ asserit. De iisdem canit Ovidius, lib. I Pastor., eosque sic loquentes inducit :

Di sumus agrestes, et qui dominatur in altis
Montibus, Imperium est in sua Teo's Jovi.

24. TU ERGO VERBUM HOC FAC : AMOVE REGES SINGULOS AB EXERCITU TUO, ET PONE PRINCIPES PRO EIS, — qui scilicet belli sint periti, et in rebus bellicis experti : non vero quieti et delicis associati, ut sunt reges, quique spe gloria et honoris a te adipiscendi fortius pigment. Ita Abulensis. Hos enim significat Hebræice כַּוְּנֵי מַלְחָמָה, id est Duces ; Chaldaeus, Imperatores.

28. QUIA DIXERUNT SYRI : DEUS MONTIUM EST DOMINUS (Hebræice יהוה, id est Deus Israelitarum), ET (idem יהוה) NON EST DEUS VALLIUM ; DABO OMNEM MULTITUDINEM HANC GRANDIEM IN MANU TUA. — Ut ostendam me tum esse vallium Deum, quam montium, utque tu, o Achab, me Deum verum agnoscas et colas, non vero Baal.

30. PORRO BENADAD FUGIENS INGRESSUS EST CIVITATEM (Aphec jam dictam) IN CUBICULUM, QUOD ERAT INTRA CUBICULUM. — id est in intimum et secretissimum cubiculum, ut ibi se absconderet.

31. PONAMUS ERGO SACCOS IN LUMBIS NOSTRIS, — quasi serviles vestes, et linctus ac penitentiae indices, ut his profiteamur nos ponitæ facti, quod scilicet Israeli bellum moverimus, equæ quasi victori nos victos in servitute dedamus.

ET FUNICULOS IN CAPITIBUS NOSTRIS. — ut profiteamur nos reos esse mortis, meritosque esse rostem et laqueum, qui fauces nobis recludat nosque strangulet. Audi Josephum : « Illi induti saccos, et restibus capita redimiti, qui prius apud Syros supplicandi mos fuit, Achabum adeunt, et salutis tantum gratiam petere Adadam significant, dedititium ejus in perpetuum futurum. »

32. SI ADHUC VIVIT, FRATER MEUS EST. — Pulabat Achab ex tanta hostium strage occubuisse Benadad. Unde audiens eum cladi superstitem, de tanta victoria exultans, ejus miseris, inconsulte et temere in hanc vocem eripit : « Si adhuc vivit, frater meus est. » q. d. Charus mihi erit ut frater, tractabo eum quasi fratrem. Solent reges se multo fratres vocare. Hinc dictum Achab servi Benadad ex ore ejus illico rapuerunt, acceperuntque ut omen vel augurium, quasi illud verbum amicum quod ipsi exciderat, signum esset insequoræ die et salvationis Benadad, quem protinde statim ad Achab adduxerunt, illicque eum supplicem, ut dicto staret, quasi fratrem excepit, et in currum suum sustulit : sed paulo post penas hujus teme-

ritatis dedit, cum bellum renovante Benadad, in eo Achab occubuit, ut dicitur cap. ult.

Symbolice Benadad est typus diaboli, qui semper fideles et sanctos persequitur, nunc vi, nunc fraude et dolo. Quare qui cum eo pacem vel fidus inii, ubi fecit Achab, certo certius ab eodem overteitur. Ita Eucherius.

34. PLATEAS FAC TIBI IN DAMASCO, — in quibus jus et iudices, item forum rerum venalium ac vectigalia constitutas in signum subjectionis, *q. d.* Partem urbis mee regio, scilicet Damasci, tibi concedam. ut ostendam illam tibi æque ac mihi esse subjectam. imo me tibi esse subditum, ideoque pendere hoc tributum. Ita Abulensis, Cajetanus et Vatablus.

35. TUNC VIR QUIDAM DE FILIIS PROPHETARUM. — Josephus censet hunc fuisse prophetam Micheam, qui cap. ult. Achab exitium prædixit, Idem tradit Glycas, et Hebraei in *Seder-Olam*, et colligitur ex cap. ultim. vers. 26, ubi pro *tolite* Hebraice est *והסכיח* *vahaschehu*, id est facite eum redire. Verum res incerta est. Unde Serarius et alii censent hunc alium fuisse a Michea, ideoque non nominari.

DIXIT AD SOCIUM SUUM IN SERMONE DOMINI (ex oraculo et jussu Dei): PERCUTE ME, — ut proprii capitis mei vulnere representem Achab regi vulnus ipsius, quod parcendo Benadad accepit in anima sua. ac vulnus populi, quod scilicet populus totus accepit in Achab rege quasi capite suo, ac tertio vulnus, quod tam Achab quam populus accipiet, cum a Benadad reparante bellum occidetur, ut patebit cap. ult. et lib. IV, cap. VI, vers. 8 et seqq. Ita Cajetanus. Addit Abulensis aliam causam hujus vulneris, scilicet ut per illud Propheta ab Achab non agnosceretur, sed videretur esse miles, itaque accessum haberet ad eum, eique parabolam hanc vulneris exponeret: si enim fuisset agnitus, nolisset eum Achab idololatra audire. Tertia et potissima causa hujus percussio- nis et vulneris fuit exemplum, ut scilicet Deus, in propheta hoc tam percussione quam percusso, daret exemplum et speculum perfectæ obedientiæ. Unde credendum est, ait Abulensis, quod paulo post deus hoc vulnus supernaturaliter curavit, ita ut ne cicatrix quidem ejus remaneret, idque ad hoc, ut ostenderet quanti meriti sit pura et simplex obedientia, quamque ex adverso Deo

exosa sit inobedientia, cum propter eam, illum qui Prophetam percutere noluerat, leoni mactandum objecerit. Audi S. Chrysostomum, orat. 4 *Contra Judæos*, sub initium: « Qui percussit Prophetam, evasit incolumis: qui percussit deivis penas; nimirum ut intelligeres in peccatis, deivis non oportere curio-um esse, examinareque rerum que precipiuntur naturam, sed nihil aliud quam obtemperare. Etenim ne prior ille veritus parceret Prophetæ, non dixit illi simpliciter: Percute me, sed addidit: In verbo Domini, hoc est, Deus præcipit, ne quere ulterius. Rex est qui hanc præscribit legem: Reverere jubentis auctoritatem, summaque cum animi promptitudine obtempera. At id facere non sustinuit, eoque penas dedit gravissimas, suoque exemplo secutores adhortans, ut quidquid præcepit Deus, per omnia obtemperarent, moremque gererent in posterum. »

Denique R. Salomon et Lyranus volunt Prophetæ hujus sanguinem pro populi Israelitici peccatis satisfecisse, ne cum Achabo periret cap. ult., sed populus ille victus est, et pro eo satisfacere istiusmodi plaga non potuit, nec voluit Prophetæ.

42. QUIA DIMISISTI VIRUM DIGNUM MORTE, — *Be-* Vers. 41.
nadad regem Syriæ, qui reus erat mortis tum ob continuum odium et bellum contra Israelitas, tum præcipue ob blasphemiam, qua dixit me esse Deum montium, non vallium; hæc enim valde Deum irritavit, ut patet vers. 28. Ita Hebraei, Rupertus, Lyranus, Dionysius et alii.

ERIT ANIMA TUA PRO ANIMA EJUS. — Occideris pro Benadad quem occidere debuisti.

ET POPULUS TUUS PRO POPULO EJUS, — occidetur pro Syris Benadad subjectis, quos occidere debuit. Ita reipsa contigit, ut audierim capite ultimo.

Est hoc exemplum neglectæ justitiæ justaque vindictæ notandum, alleque infingendum meritis regum et iudicum: « homicida es, eo quod hostem dimiseris, » ait S. Chrysostomus, loco citato.

43. REVERSUS EST Igitur REX ISRAEL (Achab) IN DOMINIUM SUAM, AUDIRE CONTENTENS. — Addit Josephus, lib. VIII *Antiq.* cap. VIII, eum adeo indignationem ut Prophetam incarcerationi: fuisse enim Micheam existimat; quem ab eo incarcerationum audierim, cap. ult. Ita Hugo, Dionysius et alii.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Achab petit vineam a Naboth; ille negat: unde Jezabel eum per falsos testes quasi blasphemum lapidari curat, agrumque ejus Achabo tradit. Quocirca, vers. 17, mittit Deus Eliam, qui Achab et Jezabeli exitium denuntiet, quodque canes lingent sanguinem eorum in agro Naboth. Quo audito, pavit Achab, vers. 27: quare Deus ab eo in filium penam contrainatam transfert.

1. Post verba autem hæc, tempore illo vinea erat Naboth Jezrahelita, qui erat in Jezrahel, juxta palatium Achab regis Samariæ. 2. Locutus est ergo Achab ad Naboth, dicens: Da mihi vineam tuam, ut faciam mihi hortum oleorum, quia vicina est, et prope domum meam, daboque tibi pro ea vineam meliorem; aut si commodius tibi putas, argenti pretium, quanto digna est. 3. Cui respondit Naboth: Propitius sit mihi Dominus, ne dem hereditatem patrum meorum tibi. 4. Venit ergo Achab in domum suam indignans, et frendens super verbo quod locutus fuerat ad eum Naboth Jezrahelites, dicens: Non dabo tibi hereditatem patrum meorum. Et projiciens se in lectulum suum, avertit faciem suam ad parietem et non comedit panem. 5. Ingressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, dixitque ei: Quid est hoc, unde anima tua contristata est? et quare non comedis panem? 6. Qui respondit ei: Locutus sum Naboth Jezrahelita; et dixi ei: Da mihi vineam tuam, accepta pecunia; aut, si tibi placet, dabo tibi vineam meliorem pro ea. Et ille ait: Non dabo tibi vineam meam. 7. Dixit ergo ad eum Jezabel uxor ejus: Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel. Surge, et comedere panem, et æquo animo esto; ego dabo tibi vineam Naboth Jezrahelita. 8. Scripsit itaque litteras ex nomine Achab; et signavit eas annulo ejus, et misit ad majores natu et optimates qui erant in civitate ejus, et habitabant cum Naboth. 9. Litterarum autem hæc erat sententia: Prædicate jejunium, et sedere facite Naboth inter primos populi, 10. et submitte duos viros filios Belial contra eum, et falsum testimonium dicant: Benedixit Deum et regem: et educite eum, et lapidate, sicut moriatur. 11. Fecerunt ergo cives ejus majores natu et optimates, qui habitabant cum eo in urbe, sicut præceperat eis Jezabel, et sicut scriptum erat in litteris quas miserat ad eos: 12. prædicaverunt jejunium et sedere fecerunt Naboth inter primos populi. 13. Et adductis duobus viris filiis diaboli, fecerunt eos sedere contra eum; at illi, scilicet ut viri diabolici, dixerunt contra eum testimonium coram multitudine: Benedixit Naboth Deum et regem; quam ob rem eduxerunt eum extra civitatem, et lapidibus interfecerunt. 14. Miseruntque ad Jezabel, dicentes: Lapidatus est Naboth et mortuus est. 15. Factum est autem, cum audisset Jezabel lapidatum Naboth, et mortuum, locuta est ad Achab: Surge, et posside vineam Naboth Jezrahelita, qui noluit tibi acquiescere et dare eam accepta pecunia: non enim vivit Naboth, sed mortuus est. 16. Quod cum audisset Achab, mortuum videlicet Naboth, surrexit, et descendebat in vineam Naboth Jezrahelita, ut possideret eam. 17. Factus est igitur sermo Domini ad Eliam Thesbiten, dicens: 18. Surge, et descende in occursum Achab regis Israel, qui est in Samaria: ecce ad vineam Naboth descendit, ut possideat eam; 19. et loqueris ad eum, dicens: Hæc dicit Dominus: Occidisti, in super et possessisti. Et post hæc addes: Hæc dicit Dominus: in loco hoc, in quo lixerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum. 20. Et ait Achab ad Eliam: Num invenisti me inimicum tibi? Qui dixit: Inveni, eo quod venundatus sis, ut faceres malum in conspectu Domini. 21. Ecce ego inducam super te malum, et demetam posteriorem tuam, et interficiam de Achab mingentem ad parietem, et clausum et ultimum in Israel. 22. Et